BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

VIRORVM CLARORVM
SAECVLI XVI ET XVII
EPISTOLAE

EDIDIT

E. WEBER

[illegible]

VIRORUM CLARORUM

SAECULI XVI ET XVII

EPISTOLAE SELECTAE

E CODICIBUS MANUSCRIPTIS GOTTINGENSIBUS

EDIDIT ET ADNOTATIONIBUS INSTRUXIT

ERNESTUS WEBER

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCIV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI
Printed in Germany

CURTIO WACHSMUTH

S.

Praefatio.

In hanc epistolarum collectionem, quarum partem Guilelmus Meyer Spirensis mihi laudavit commendavitque, alias meo iudicio, prout placuerunt, e codicibus Gottingensibus horum catalogo nuper edito egregie adiutus selegi, primo loco quattuor celeberrimorum Saxoniae magistrorum ad Wolfg. Meurerum, professorem Lipsiensem, datas epistolas, Georgii Agricolae, Georgii Fabricii, Esromi Rudingeri, Adami Siberi, recipere visum est. His accedunt poetarum litterae, Eobani Hessi quinque, inter eas tres, in quibus ad amici opem supplex confugit, id quod mirum esse non potest in viro, quoad vixit, rei familiaris inopia assidue vexato, et Pauli Melissi bybliothecarii, non invenustae satisque loquaces. Sequuntur Iani Gruteri epistolae, quas raptim et stans pede in uno scripsit, quarum stili neglegentiam coniecturis perpolire anxie abstinui, ultimo autem loco Hermanni Thederingi, summa cum cura et munditia exaratae, iuveniliter et iocose scriptae.

Epist. 1—17. 19—25 in cod. Gottingensi philos. 89 et 89[a] insunt, 26—57. 61 in cod. philos. 91, 59. 60. 62—69 in cod. philos. 92, 58. 70—91 in cod. philos. 93, 18 in cod. gymnasii bybliothecae Isenacensis. Omnes auctorum 'propria manu' scriptae sunt, praeter 26—57. 61 (saec. XVII), 18 (saec. XVI), 22 (recenti manu e scheda mutilata transscriptam). 'Epistolas' autem nominavi veterem scribendi morem secutus.

Adnotationes si vel superflua argumentorum inopia vel alio vitio laborare viris his in rebus versantibus videantur, eos rogatos velim, ut quod peccatum sit, recentiorum temporum rei litterariae cognoscendae studio voluntatique tribuant eius, qui adhuc maxime antiquitatis Graecae scientiae operam suam navaverit. Certe ipsas epistolas eos, qui legent, delectaturas et auctorum vitis, scriptis, ingeniis clarius illustrandis inservituras esse spero et cupio. Ac si quis mearum epistolarum unam vel alteram se iam alibi excusam legisse meminerit, id quod strenuis perscrutationibus praecavere conatus sum, peto, ne gravetur reputetque has epistolas dignas esse, quae bis legantur.

Tabula

epistolarum quae hoc volumine continentur.

I. Epistolae ad Wolfg. Meurerum datae, quas scripserunt:

II. Eobani Hessi et Pauli Melissi epistolae.

III. Iani Gruteri epistolae.

IV. Hermanni Thederingi epistolae.

Uncis rotundis ea inclusimus, quae coniectura suspicati sumus.

VIRORUM CLARORUM

SAECULI XVI ET XVII

EPISTOLAE SELECTAE

Praefatio.

In hanc epistolarum collectionem, quarum partem Guilelmus Meyer Spirensis mihi laudavit commendavitque, alias meo iudicio, prout placuerunt, e codicibus Gottingensibus horum catalogo nuper edito egregie adiutus selegi, primo loco quattuor celeberrimorum Saxoniae magistrorum ad Wolfg. Meurerum, professorem Lipsiensem, datas epistolas, Georgii Agricolae, Georgii Fabricii, Esromi Rudingeri, Adami Siberi, recipere visum est. His accedunt poetarum litterae, Eobani Hessi quinque, inter eas tres, in quibus ad amici opem supplex confugit, id quod mirum esse non potest in viro, quoad vixit, rei familiaris inopia assidue vexato, et Pauli Melissi bybliothecarii, non invenustae satisque loquaces. Sequuntur Iani Gruteri epistolae, quas raptim et stans pede in uno scripsit, quarum stili neglegentiam coniecturis perpolire anxie abstinui, ultimo autem loco Hermanni Thederingi, summa cum cura et munditia exaratae, iuveniliter et iocose scriptae.

Epist. 1—17. 19—25 in cod. Gottingensi philos. 89 et 89[a] insunt, 26—57. 61 in cod. philos. 91, 59. 60. 62—69 in cod. philos. 92, 58. 70—91 in cod. philos. 93, 18 in cod. gymnasii bybliothecae Isenacensis. Omnes auctorum 'propria manu' scriptae sunt, praeter 26—57. 61 (saec. XVII), 18 (saec. XVI), 22 (recenti manu e scheda mutilata transscriptam). 'Epistolas' autem nominavi veterem *scribendi* morem secutus.

sunt, fuerunt, erunt, praestantem. Vuessalii autem libros de partibus corporis humani[10] nondum vidi; nam et pauca eorum exempla Lipsiam allata fuerunt et antea, quam de iis certum haberem, divendita. Diligenter curabo, ut ex Francofordio ad me apportentur. Miror hoc argumentum a Graecis non satis esse explicatum, praesertim cum Galenus, post Marinum et Lycum[11] atque alios, in eo multum operae studiique posuerit. Si iuvenis acerrimo ingenio aliena inventa pro suis non venditavit, et nemo vir bonus eius industriam et studium improbabit et laudem sibi pariet veram et solidam; sin in alienam possessionem temere pedem posuit, quis non videt Galeno non defore, qui praecipitem ex ea exturbent? Sed spero Vuessalium nostrum, quia cum multis et magnis ingeniis, ut audio, conflictatus est, omnia iudicio expendisse et sua diligenter explicasse, atque eo magis id spero, quod vehementer velim nostra aetate homines existere, qui aliquid ad veterum inventa addere possint. Venio nunc ad Brancaleonem, qui, ut scribis, philosophorum antiquorum opinionem de terrae motu ab Aristotele defendit. Sed quamnam? Cum enim Aristoteles e multis tres refellat[12], primam Anaxagorae, qui ignem terrae motus causam esse censet, alteram Democriti, qui aquam, tertiam Anaximenis, qui terram ipsam, percupio scire, quam ex istis probet Brancaleon, et videre libellum eius, quem de iis rebus scripsit vulgi sermone[13]. Sed quid audio? Romae metalla inquirit Horstius, ubi etsi multa signata et conflata sunt, nullum tamen effoditur, et, quod mihi magis mirum videtur, homo Batavus, quem piscium naturam observare facilius crederem, quam auri vel argenti venas scrutari. Sed extra iocosas ratiunculas, magni mea refert ex te intelligere, quid vir ad investigandum acutus et solers sentiat de metallis, quid de gemmis, quid de marmoribus, quid de lapidibus[14], quid de saxis, quid de terris insignibus, quid denique de succis tam liquidis, quam concretis. Tu confice commentarios earum rerum, ut mihi, cum veneris, de iis omnibus satisfacere possis.

Quoniam vero video te mihi, quacunque in re possis, gratificari velle, etiam atque etiam peto abs te, ut hos Graecorum Aristotelis interpretum Graecos commentarios mihi Venetiis emas et consideres, ne eis ulla pagina desit tecumque integros Lipsiam perferas: Simplicium[15] dico in libros phys., de coelo, de animo [*sic*], et Ioannem grammaticum in libros de ortu et interitu sive, ut isti loquuntur, de generatione et corruptione, et Themistii opera caeterosque, qui libros Aristotelis de rebus naturalibus Graece explanarunt, sive Alexander Aphrodisiensis fuerit, sive Michael Ephesius, sive Metachytes, sive Eustratius, sive Ammonius. Quos autem commentarios iidem scripserunt in dialecticos Aristotelis libros, non emas; nam omnes habeo, praeter Metachytae lucubrationes, quas item emas. Si tibi pecunia non fuerit, sumas mutuum a Badehorno[16], viro iuris civilis intelligentia et omni scientiae genere praecellenti. Nam, ut audio, habet et, ut spero, dabit; mihi enim, cum Hertelius[17] eum in aedes meas olim duxit, homo visus est bonus esse, et Fabricius etiam officiosum dicit, qua re et gratiam et honores et divitias consequi poterit. Certe quam primum redierit ad nos, argentum reddam et dabo lucrum, quod dandum erat Fuccheris, ut in Italia numerarent, et faciam praeterea, ut intelligat apud gratum hominem beneficium posuisse. Vale et saluta Badehornum. Eundem et te salutat Hertelius. Cordo[18] iuveni rei herbariae multum perito da has literas, quem tibi commendo. Iterum vale et me, ut facis, ama.

Kempnicii, Cal. Ian. anno M. D. XLIIII.

Georgius Agricola.

2. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 29. Iul. 1544.

Doctiss. philosopho et medico d. Wolfgango Meurero amico suo. Lipsiae.

S. Heri vesperi literas a te accepi, quibus mihi signi-

ficas aliquot Graecos Aristotelis interpretes et Venetiis tua opera, auro Badhorni esse emptos et integros cum tuis libris Lipsiam advectos. Badhorno his literis ago gratias, ubi ad nos redierit, quam primum occasio mihi fuerit oblata, quantas possum, referam. Tibi vero gratulor de reditu in patriam[19] et pro auro argentum, Ioachimicos scilicet sedecim cum dimidio, remitto cum famulo Borneri[20], ut primo quoque tempore mercatoribus Lipsiae argentum a te numerari, Badhorno in Italia aurum ab ipsis reddi possit. De pecunia, quae reliqua erit, nam, ni fallor, erit aliqua, pro vectura solves. Libros diligenter serva usque eo, dum eos a te petam literis. Memini Fabricium amicum nostrum narrare te sulfur candidum, quod Campani virgineum appellant, collegisse in planicie illa sulfurosa, quae est inter Neapolim et Puteolos[21]. Cuius particulam atque alias res fossiles, si quas tecum portasti, ad me ut mittas, vehementer rogo, tum etiam, ut per otium diligentissime ad me perscribas, quid Horstius de gemmis deque aliis rebus multis sentiat. Vale et perge porro mea studia iuvare.

Kempnicii, IIII. Cal. Aug. anno M. D. XLIIII.

Georgius Agricola.

3. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 26. Aug. 1544.

Doctiss. philosopho ac medico d. M. Volfgango Meurero amico suo. Lipsiae. *XXX. Augusti 1544. Georg. Agricola.*

S. Negotium Paulo Manno tabellario dedi diebus superioribus, ut ex te quaereret, utrum pecuniam, per Egidium Misnerum[22] ad te missam, acceperis necne. Is ait respondisse, argentum esse datum teque literis hoc ipsum mihi significasse. Sed cum nullas acceperim, rogo, ut ea de re nunc me certiorem facias. Dabis etiam huic nostro *bibliopolae, cum* redierit e Merseburgo, commentarios in

Aristotelem. Scribes praeterea ad me de gemmis deque aliis rebus fossilibus, quas in Italia vidisti. Vale.

Kempnicii, VII. Cal. Septemb. anno M. D. XLIIII.

Georgius Agricola.

4. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 4. Oct. 1544.

Doctiss. philosopho et medico d. Volfgango Meurero amico suo. *5. Oct. 1544.*

S. D. Graecos Aristotelis interpretes accepi; libros vero Alexandri quaestionibus adiectos[23] non accepi, quos tamen debere adesse et Victoris Trincaveli epistola et inscriptio indicat, quae eiusmodi est: Metaphrasis ex Damascio in primum librum de caelo et mundo. Epitome per modum commentarii in quatuor primos et octavum physices libros. Theophrasti liber de sensu. Prisciani Lydi metaphrasis in libros de sensu et phantasia. Cur autem hos ad me non miseris, coniicere non possum. Si oblitus es, ut nunc mittas, rogo; sin aliud in causa est, ea de re ut me certiorem facias. Mitte etiam sulfuris virginei particulam et ea, quae de gemmis aliisve rebus fossilibus conscripsisti. Vale.

Kempnicii, IIII. Non. Octobr. anno MDXLIIII.

Georgius Agricola.

5. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 30. Dec. 1544.

Clarissimo philosopho et medico d. M. Volfgango Meurero amico suo. Lipsiae.

S. Accepi sulfur in luteo candidum[24], quod Neapolitani ob puritatem virgineum nominant[25], pro quo tibi meritam habeo gratiam. Sed an idem prorsus album reperiatur, scire cupio atque, si tibi tale fuerit, rogo, ut eius particulam pisi magnitudine ad me mittas. Non ignoro mira *saxa in cavernulis* quibusdam ac vero etiam magis in

eorundem commissuris, fibris, venis[26] interdum reperiri, ranas venenatas[27], quae ex colore quem habent subrubeum nomen invenerunt. Etenim eas nostri metallici appellant Fewrkröten. Quod si Mansfeldii commissurae non extiterunt evidentes, dubium non est, quin saxo fuerint tanti meatus, quanti aerem concipere possent, quo ducto vita esset bestiae. Maltha facticia[28], qua Romani incrustarunt aquaeductus, castella, piscinas, ex quibus constet, tibi significare non possum; nondum enim eam dissolvi. Ubi id fecero, ea de re ad te scribam. Rumor tristis perfertur ad nos de mortuo Valerio Cordo. Nollem iuvenem illum bonis studiis ereptum. Qui, si divina benignitas, id quod spero, ei vitam largietur, sempiternam laudem auferet ex re herbaria. De eo et nostro Fabricio si quid certi habes, obsecro te, ut ad me diligenter perscribas. Quin etiam an dies geniales Alexandri ab Alexandris[29] apud vos venales sint et quanti emantur, si non sint, quis eum librum habeat. Salutat te Hertelius. Vale.

Kempnicii, III. Cal. Ian. anno M. D. XLV.

Georgius Agricola.

6. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 11. Febr. 1545.

Clariss. et doctiss. philosopho et medico d. M. Volfgango Meurero amico suo. Lipsiae. *XV. Febr. 1545. Georg. Agricola.*

S. D. Valerium Cordum in nobili illa peregrinatione in graves morbos delapsum excessisse e vita[30] multis de causis doleo. Quas nunc propterea omittam, quod eas hoc tempore nec ego sine acerbissimo animi dolore possum enumerare nec tu, ut opinor, legere potes. Si literas, quas de Cordi commentariis ad me scripsit Hieronymus Schreiber[31], resignatas accepissem, aut aequo animo passus essem iniuriam aut de ea ⟨re⟩ cum tabellario expostulassem. Nunc cum nullas acceperim nec quis praeripuerit *sciam, quid faciam?* Quicquid de his perferet ad te vel

rumor, ut ad me scribas, rogo. Quaeris, maltha Romana ex quibus constet; respondebo paucis[32]. Duo malthae facticiae genera scriptores veteres memoriae tradiderunt. Quorum utrunque componitur ex calce et adipe suillo, sed alterum praeterea succum fici recipit, alterum picem liquidam. Eam maltham, quam Georgius Fabricius attulit, picem non habere satis indicat color. Lithocolla autem et compositione et usu differt ab utraque maltha, quod hae constent ex calce et adipe et potissimum eis obturentur rimae cisternarum et pistrinarum, per quas aqua effluit, illa ex pulvere marmoris et glutino tauri fiat atque ea caementarii marmoris fragmenta cum reliquo corpore conglutinent. Hodie duo lithocollae genera sunt in usu, quorum utrunque capit pulverem id genus saxi vel marmoris, qualis fragmenta cum maiori mole coniungimus, unum insuper albumen ovi, alterum picem. Ad haec alii alia adiiciunt. Suum etiam malthae genus habent nostri metallici, quo rimas, quae sunt in fundo magni catini, obstruunt, ne metalla liquefacta per eas dilabantur. Ut enim maltha vetus aquae liquorem coercet et continet, ita nova metallorum. De quibus omnibus et similibus disseram in libro quarto de natura fossilium. Patria tua gignit res metallicas, de quibus nuper scripsi[33]; eas, ut primum occasio data fuerit, cura, ut afferantur. Si quid volueris, quod praestare possum, vicissim a me facile impetrabis. Badhorno referes plurimam salutem. Vale.

Kempnicii, III. Idib. Febr. anno M. D. XLV.

Georgius Agricola.

7. G. Agricola W. Meurero.

(Kempnicii). 16. Aug. 1545.

Clariss. et doctiss. philosopho ac medico d. Volfgango Meurero amico suo. *20. Augusti 1545. Georg. Agricola.*

S. D. Iacobi Sylvii[34] libros iam diu remisissem, si iis non multum timuissem, ne vel pluvia madefierent vel *laederentur a tabellario.* Ad proximum mercatum accipies

integros. Si frater tuus[35] tandem ex patria misit res metallicas, eas dabis huic nuntio; si non misit, rogo, ut quam primum commode poteris, istius rei ipsum commonefacias, praeterea ut mittat aliquot lapides violam olentes, qui in Calenbergo monte[36] prope oppidum sito reperiuntur. Quicquid argenti exposueris, reddam. Horstius tibi ostendit spinellam[37], nicolum, belloculum[38]. Quae nomina, quia mihi ignota sunt, quas gemmas aut lapides significent, scire non possum. Te etiam atque etiam rogo, ut cuiusque colorem, figuram, quantitatem per otium mihi explices. Ego ad multa te utor, tibi contra me uti, ad quae volueris, licebit. Vale et saluta meis verbis plurimum D. Bornerum, Badhornum, Camerarium[39]. Iterum vale.

(Kempnicii), XVII. Cal. Sept. anno M. D. XLV.

Georgius Agricola.

8. G. Agricola W. Meurero.

Kempnicii. 22. Apr. 1548.

.. Meurero Rectori Lipsiensi .. *26. April. 1548.*

S. D. P. Quoniam ego a munere consulari[40], quod iussu principis duos annos sustinui, solutus ac liber sum, et tu iam magistratu[41] vel abivisti vel abibis, erit temporis utrique ad amicitiam scribendo renovandam satis. Sed ut initium disputandi faciam, te libris meis nuper editis donabit frater meus. In quos, ubi eos perlegeris — perleges autem, cum erit otium —, dabis iudicium prudens atque limatum. Vale.

Kempnicii, X. Cal. Maii anno M. D. XLVIII.

Georgius Agricola.

9. G. Fabricius W. Meurero.

Patavii. 27. Aug. (1540).

.. M. Vuolfgango Meurer Lipsensis Academiae Decano amico suo. *V. Idus Octobr. 1540.*

S. Pridie quam tuae mihi sunt redditae, ad te ipse

scripseram, quas ne frustra exararim, et hic brevior esse possim, cum his ipsis ad te mitto. Tuis autem, Vuolfgange, εὐαγγέλια deberi fateor, quod eae sint omnium primae, quas ex Germania, quam diu hic[42] sum, accipio. Qua ipsa ex re quam incredibilem laetitiam ex diuturno desiderio ceperim, intelligere facillime potes. Quod sane omen sanctae cuiusdam coniunctionis mihi praebuit idque ita libens accipio, ut te omni ratione non solum amandum, sed colendum et in oculis animoque perpetuo ferendum putem. Excusatio tua de literarum intermissione grata quidem fuit, sed tam diu me suavissimo fructu, quem ex tuo colloquio capio, caruisse permolestum accidit. Status Germaniae turbulentus me non delectat et doleo sane florentem patriam nostram hominum audacissimis furiis vexandam ac dilacerandam relinqui. Quos cum inscitia ad res magnas tractandas inutiles faciat, tum temeritas eo usque perducit, ut sibi munera aliena sumere non dubitent. Dico autem sacrificulos quosdam, quod hominum genus fere semper perniciosum rebus humanis fuisse et historiae veterum testantur et aetas nostra nos experiri cogit, ut recte quidem Lazarus Bonamicus[43] omnes eos ad remos damnandos et pane illo bis cocto, quem vocant, alendos esse dicere videatur; ita enim futurum, ut sint evasuri tales, quales esse merito debebant, hoc est, castigati et suarum tantum rerum curiosi. Me vehementer quidem movent, illinc tacita bonorum et doctorum virorum iudicia, hinc earum nationum, quae capitales nobiscum exercent inimicitias, laetae atque exultantes voces. Praecipue autem sacro Dei verbo nominique Christiano, quod pleno ore iactatur, tantam labem atque ignominiam inuri quis quaeso aeque patienterque ferat? Spes pacis atque compositionis in paucissimis sita est, quorum si excluduntur consilia, quid tandem futurum auguramur? Quod si ad arma veniatur, maxima clades bonis studiis iam nonnihil excitatis, certa pernicies religioni in lucem revocari coeptae impendebit. Quibus amissis ne libertatem quidem tueri in tanta confusione poterunt. Quod ne fiat,

precibus, votis atque omni animi impetu a Deo contendendum est. Sed querelarum satis. In Italia quies ac otium est. Quod si scire cupis, quae superioribus mensibus acta sunt, pete exemplum mearum literarum ab Hertelio. Novi libri hic pauci sunt, nisi quos praebent Germania et Gallia. Paulus Aldi F., iuvenis eruditissimus, conatur restaurare officinam paternam, sed adhuc praeter Ciceronis epistolas, ex plurimis vetustis emendatas, excudit nihil, quod sciam ego[44].

Bornerus meliore valetudine dignus erat; illi etiam atque etiam curandum, ne thermae morte opem ferant, quod multis scimus contingere. Eius literas, quarum mentionem facis, non accepi, quod non parum mihi molestiae adfert; nam non potest non esse quam gratissimum, quidquid ab eo proficiscitur, cuius in me tanta beneficia extant. Valentinum Hedericum[45] et Andream Sidelium, tuos, ut ex eorum intellexi literis, discipulos, tibi plurimum commendo: hunc ob Matthiae fratris in me amorem et studium, illum ob patris merita et ius affinitatis merito diligo. Quaecunque ornamenta in illos contuleris, in me collata existimabo. Uterque bonus et studiosus visus est, egent tamen interdum calcaribus. Des operam oro, ne vel usu malorum vel aliquibus voluptatibus se abduci a pulcherrimis studiis patiantur. Rescribere illorum literis hoc tempore non potui, quare me excusatum habebunt. Ne omnino nihil novarum rerum ad te mitterem, vidi nuper excellentem picturam, qua Venetae urbis mores sunt expressi; eam depingere aliter nequeo, quam his versiculis:

Armata dextra Veneti premit ora Leonis
  Imperio tanto facta superba Venus
Demulcensque manu pectusque unguesque sinistra
  Molliter insidiis in sua iura trahit.
Tum viridem praefert palmam, victricia signa,
  Signa sui Martis depositura sinu.
Iam Neptune tuum Veneri concede tridentem,
  Regina est regni scilicet illa tui.

Adiiciam alteram, in qua Germani Venetos fugere proelio ad Vicentiam commisso[46] finguntur, in quo tamen VIII M. Germanorum XL M. Venetorum fugarunt exciderentque. Ea est in D. Ioannis Pauli, de qua ita lusimus:

Germanos Venetis abiectis cedere telis
    Pingitis et turpi vertere terga fuga.
Sic agnam trepidat lupus accipiterque columbam,
    Sic apri dammas, sic leo fugit ovem.
Hoc Vicentini testantur sanguine campi
    Et late Adriaco terra cruore madens.
De Venetis autem cur non posuere tropaea
    Germani? Imbelles vincere turpe viris.

Haec ne quid tibi negare viderer, adieci. Tu ut boni consulas et nihil rerum omnium me celes, te rogo. Vuolfgangus de Vuerter[47] te salvere plurimum iubet, qui et amat te et propter egregiam doctrinam sibi coniunctissimum cupit. Bornero, ceteris amicis salutem. Vale.

Ex urbe Patavio, VI. Cal. Sept. (1540).

F(abricius) C(hemnicensis),
quem ex studio erga te cognosces[48].

10. G. Fabricius W. Meurero.

(Calcareuthi) ruri ad Rederam. 27. Febr. 1553.

.. Meurero med. .. doctori et philosophiae .. amico suo ..

S. D. Literas tuas optatissimas cum fratrum[49] literis Dresda accepi tibique pro officio et D. Badehorno gratias ingentes ago. Quod me hortaris, ut ad consuetudinem scribendi pristinam redeam, eam non intermittam, cum erit aliquid literis dignum. Privat enim me scribendi argumento solitudo ruris[50]. Te Colditii esse nescivi, alioqui scripsissem. Misenae sublati sunt duo millia hominum[51] peste, magna videlicet multitudo in parvo oppidulo. Non plane *autem in hunc* usque diem lues illa perniciosa remisit.

Chentmanus[52] noster ne pedem quidem loco movit estque cum suis Dei beneficio salvus; eum conveni proximis Bacchanalibus Dresdae. Ostendit mihi tum duos libros a se Germanice scriptos de causis et curatione eius morbi[53]. Inprimis vero narrat[54] miraculum, mulierem[55] quandam eo in morbo triduum sudasse sanguinem. Dabit autem opusculum illud Vuolrabio[56] excudendum. Valde et ego desidero redire ad bibliothecam meam, quod vix fiet ante Cal. Maias. Is enim dies reditus et mihi et Adamo[57] Misenam Grimmamque est a consiliariis principis constitutus, modo maius malum, quod iam prae foribus videtur esse, id non impediat. Quod si renovabitur bellum civile, heu miseram patriam, ah nos calamitosos! Deum orabimus, ne vindicet ingratitudinem et superbiam nostram, sed parcat Ecclesiae et ipsum vere invocantibus. Historiam quandam[58] Argentorato ad te missam, ut fratres significant, legere cupio. Dixi de ea nuper imprudens D. Mordesio[59], eam scilicet te habere; sed dices remittendam fuisse auctori, si quid continet, quod Sleidano, opt. viro, creare periculum possit. Ad me vero mitte; erit tibi tuta et salva. Scripsi D. Badehorno, ut admoneat Iordanis bibliopolae filium de debito mihi solvendo[60]; nam octo thaleros a Petreio Basiliense[61] ad me missos negat et a patre suo solutos mihi fingit. Mone etiam tu ipsum, ne res illa maiori postea damno sit. Vale cum uxore[62] opt. et suaviss. liberis feliciter et diu.

(Calcareuthi) ruri ad Rederam, III. Cal. Martii MDLIII.

Georgius Fabricius.

11. G. Fabricius W. Meurero.

Chemnicii. 18. Apr. 1553.

.. D. Volfgango Meurero, medico et philosophiae professori in academia Lipsiensi .. *XXV. April. 1553.*

S. D. Nisi militum obstitisset metus, qui nunc isthic in praesidiis sunt, Beichlingum profectus te coram allo- *cutus essem,* multis de causis. Schetum[63] obiisse vobis *notum esse iudico,* opt. adolescentem. Cupio fratrum literas

legere, quos audio etiam in periculo versatos. Si quid literarum allatum, cura Misenam perferendas, inprimis vero significa, num redditae meae tibi sint, quibus oravi te, ut adiunctas Francofurdiam mitteres[64]. D. Agricola strenue pergit in libro de peste[65]; eum probabis, ut soles illius, cum propter methodum, tum etiam propter exempla, quibus solet suam illustrare doctrinam. Hospitium Vuerteri Sidelio indicabis, quem iussi meas praesenti dare certas ob causas. Marcus Bretschneider[66] in Portensi ludo educatus nunc principis stipendio in vestra academia vivet; eius nomen tibi notum esse cupio, civis mei et adolescentis omnium praeceptorum commendationem meriti, futuri etiam auditoris tui. Plura, cum in provinciam meam rediero. Vale feliciter cum tuis omnibus.

Chemnicii, XIIII. Cal. Maii MDLIII.

Georgius Fabricius.

12. G. Fabricius W. Meurero.

(Calcareuthi) ruri ad Rederam. 30. Apr. 1553.

.. Volfgango Meurero medicin. doctori et philosophiae in academia Lipsiensi professori amico suo .. *IIII. Maii 1553.*

S. D. Binas tuas accepi, priores scriptas VII. Idus Apr., alteras IIII. Cal. Maii; eae mihi redditae simul sunt pr. Cal. Declarant autem studium tuum erga me et benevolentiam veterem. Literas, quae Francofurdiam mitti non potuerunt, Misenam omnes remittas oro, item libellulos, quos a Vuerteri amanuense accepisti. Si ibi praesens non ero, quod tamen spero, inscribe iisdem, ut D. Iohanni Tetelbachio[67] pastori nostro ad D. Afram reddantur. Libenter te isthic vidissem, sed profecto mihi obstitit metus, qui mihi paene cum periculo Citii iniectus est. Cal. Maii, ut scis, mihi ad reditum constitutae erant, sed nunc impediunt fabri, qui ampliant ludi pomoeria[68]. Matthias[69] collega meus iam certus est de conditione, ut mihi videtur, *splendidissima;* muneris loco centum thaleros a suo

Principe accepit. Salarium est ducenti floreni, domus, vestis, ligna, oves, boves, porci, triticum, hordeum, ad sustinendam rem familiarem. Ita nimirum illius tenuitati, in qua annos XXV in his regionibus continenter docens vixit in labore et patientia benignissimus prospexit Deus. Cui, ut novi, tu nobiscum amici nomine gratias ages. Discedet, credo, Cal. Iunii. Quod si cum D. Cumerstadio[70] coram fuero locutus, ad Tomaeum[71] scribam, ut etiam de suo statu sit certior. Gratias tibi ago, quod fratris literas ad me miseris, quas his rursus inclusi[72]. Deus faciat, ut illum diem quamprimum videam, quo sim cum meis; nihil enim mihi hoc otio et ista solitudine gravius atque molestius. Te opto valere cum tuis omnibus. De Camerarii adventu si spem habes, mihi significa, repete quaeso atque usurpa saepius intermissam hactenus scribendi consuetudinem. Vale.

(Calcareuthi) ruri ad Rederam, pr. Cal. Maii MDLIII.

Georgius Fabricius.

Fratri Iacobo ut rescribas, te rogo.

13. Esr. Rudingerus W. Meurero.

(E ludo Portensi). 4. Dec. (1547).

.. M. Vuolfgango Meurero academiae Lipsensis rectori.. *V. Decembr. 1547*[73].

S. D. Requirenti Ioach.[74] has ad te litteras dedi, quod et morem ipsi gerendum putarem, et tibi non ingratum futurum confiderem officium meum; nam quod scriberem prorsus non habebam. Dimisimus autem hunc ad ornamentorum suorum petitionem cupide, sed de scholasticis operis minus libenter, quibus ego hunc ita natum et aptum iudico, ut neque brevissimo tempore sine incommodo illo carere possimus et nescio, an industriam huius in regendis moribus discipulorum et disciplinae severitate possimus *assequi, id quod* nulla alia de causa scribo, quam quod ita *sentiam. Ad has* igitur quam primum fieri potest ut

revertatur, et ipse cupit, et si quid tua opera accelerari potest, rei communis nomine petimus, ut facias. Me vero cur facti mei poenitere possit, nondum animadverti et reperi mediocriter in provincia, quam expetivi. Disciplina tantum severiore vel potius acerbiore opus esse intelligo quam naturae meae lenitas ferre posse videtur. Id igitur per mihi difficile et molestum est futurum. Superandum tamen et ipsum. Te rectorem creatum esse serius comperimus, ideo non potuimus maturius gratulari. Etsi autem plusculum molestiarum et laborum tibi obiiciat honor iste, tamen et ita meritae de te sunt litterae nostrae, ut graves tibi in summo magistratu illarum esse non debeant, et rependitur a te gratia his, quae te ornarunt tantopere. Ego quidem sicut studia harum praeclariss. duco, ita praefici etiam curae et gubernationi illarum pulcherrimum iudico. In eo tamen maior est laus et dignitas talibus ornamentis dignum reperiri. Hoc igitur tibi nunc praecipue in hac re gratulandum putavi et gratulor, ut puto, rectissimum. Nam mihi sic persuadeo, nequaquam tibi hunc magistratum maiora ornamenta conferre, quam a te ad ipsum afferuntur. Sed de his iam dudum nimium. Oro igitur, ut benigne accipere velis absque argumento et sapientia scriptas litteras nostras tibique persuadeas me, si ullis in rebus*) pro maximis et immortalibus beneficiis tuis educationis meae[76] gratum animum meum declarare possim, nihil esse omissurum omnium. Vale.

(E ludo Portensi), pridie Nonas Decembris (1547).

T. Esr(omus Rudingerus).

14. Esr. Rudingerus W. Meurero.

(E ludo Portensi). 8. Ian. (1548).

. . Vuolfgango Meurero acad. Lipsensis rectori Domino et praeceptori suo colendissimo. *X. Ianuarii 1548.*

S. D. Abeuntem a nobis Ioach. Smalcaldiam usque sum

*) *'me — rebus'* ad marg.

comitatus, eo salvum deduxi et hodie revertens reperi hunc puerum apud nos, qui me sex dies — tot enim abfui — cum his litteris hic exspectavit, quas tibi propterea nunc una mitto, ut intelligas, quantae haec res, quam a te petendam putamus, curae ei sit, qui scribit, et ipsius causa etiam mihi, atque ut sublevent me opera expositionis negotii et fessum et languentem e via; id enim totum ex iis intelliges. Cogitat bacalarius fieri Erphurdiae, ideo requiruntur testimonia ab ipso rectoris et decani vestrae academiae, quibus planum fiat unum annum ipsum in cursu ad eos honores complevisse; hunc vero cum interruperit ipsi hoc calamitosissimum bellum sicut multa alia, metuit, ut impetrari possit. Ego quidem rationem omnino habendam puto talium temporum et quod iurisconsulti docent in maleficiis fieri oportere, id multo magis in honestissimo studio faciendum, ad voluntatem ut respiciatur. Nescio tamen, quid fieri possit aut peti debeat; fortassis ea est severitas vestrarum legum, ut mendacium hoc iudicetis, cum multa et sic fiant et disputentur fieri nequaquam improbe. Hoc igitur ex te cupimus cognoscere simulque petimus, cum D. decano de hac re ut communices, quem puto adhuc esse convictorem tuum. Quod si componendum aliquid putabitis, huic puero date, qui eius rei causa ab ipso ad vos mittitur et solvet, quae poterit. Cupio gratificari adolescenti: est popularis meus et didicit apud me Lipsiae, carus etiam est Scheppero meo, eximio mathematico, quem arbitror te novisse ex frequentibus meis et Ioach. sermonibus, facultatibus autem tenuioribus, sed hoc etiam genus nobis non est negligendum. Serius tamen adductus ad nostras artes studio et diligentiae non parcit, si forte compensare his posset, quod est neglectum. Nescio, quid tibi videatur; ego hoc genus pluris facio, quod laborem et studium tantum habet, quo nititur, quam illud alterum ingeniosum et socors. Peto igitur a te summissime, mi colendissime praeceptor, ut hunc confidentem me tantopere etiam mei honoris causa amare velis et declarare studium erga populares meos tuum, quibus

et propter Ioach. et propter me etiam confido te bene cupere.

(E ludo Portensi), D. VI. Id. Ian. (1548).
Salutat te officiosiss. rector meus[76].

T. Esr(omus Rudingerus).

15. Esr. Rudingerus W. Meurero.

(E ludo Portensi). 30. Iun. (1548).

.. D. Vuolfgango Meurero .. *X. Iulii 1548.*

S. D. Nudius tertius accepimus ea, quae tu huc remisisti, oeconomus equum, ego calcaria una cum litteris tuis hilarulis, ut videbantur. Mihi autem quod gratias agis, facis *ἐκ περιουσίας*, sicut oeconomus hoc, quod equum tibi concessit, ut scribis, optimum. Etsi non intelligo, quid sit: quoniam cum peiore commutare licuit. Scito igitur te negotium recte curasse. Equus enim salvus est et calcaria integra. Hoc autem significari tibi voluisti, absque quo si fuisset, nihil habuissem nunc quidem, de quo ad te iudicassem scribendum, quamquam hoc aliquid etiam, ut ille ait, nihil est. Salute vero tibi opus est non minus quam nobis, et haud scio, an paulo magis, *τῷ δηλονότι μνηστεύοντι.* Hanc igitur tibi reprecamur salvam et praepetem singuli, siquidem hac nihil est, ut scribis, commodius. O pr., vale et me ama.

(E ludo Portensi), D. pridie Cal. Quintilis (1548).

T. Esr(omus) R(udingerus).

16. Esr. Rudingerus W. Meurero.

18. Mart.

Eximio medicinae doctori Dn. Vuolfgango Meurero ..

S. D. Quod coram egissem, si affuisses, de eo has litteras ad te exaravi in apparatu ad iter et festinaturus. *Oro autem T. Pr.,* omni cultu reverentiae dignissime Domine

praeceptor et amice, ut tua etiam suffragatione adiuves petitionem affinis mei M. Casparis Iungermanni[77], ut in collegium vestrum cooptetur, cum beneficia academiae expectet in annos XVIII, idque et propter socerum et familiam huius et mei etiam aliquo respectu ut facias, etiam atque etiam oro. Sic me tibi devinctissimum magis obligabis, et tibi et honestissimae familiae tuae omnia officia mea repromitto. Vale.

XVIII. Mart. T. Esr. Rudingerus.

17. Ad. Siberus W. Meurero.

Ex ludo Grimmensi. 15. Iun. 1555.

. . Dno. Vuolfgango Meurhero medicinae doctori . . *16. Iunii 1555*[78].

S. Clarissime D. doctor et amice nobis multis nominibus colende. Est in ludo nostro adolescens viginti fere annorum. Is specie quadam μελαγχολίας videtur correptus. Nam et aliena loquitur et tristibus interim agitationibus vanas imagines concipit. Et veremur, ne augescente morbo plane mente moveatur. Noctu parum dormit et contra naturam, qua antea fuit tristi semper, nunc, si cum eo quis sermonem habeat, apparet hilarior. Interdum de praecordiorum dolore conqueritur et a cibo febricula nonnunquam tentatur. Quae cum ita sint, orat tuam humanitatem oeconomus noster[79] et rogo ipse quoque, ut pro tua singulari eruditione et prudentia consulas in medium, quanam ratione integritatem valetudinis adolescens queat recipere. Ea in re dabis nobis magnum beneficium, et ut sese gratum tibi praebeat oeconomus, dabimus operam. Bene vale et tuos nomine nostro saluta.

Ex ludo illustri Grimmensi, XVII. Cal. Iul. M.D.LV.

Adamus Siberus.

18. Helius Eobanus Hessus[80] Ioanni Draconi literarum delicio.

Erphordiae. (Circa 8. Apr.) 1520.

Multa sunt, propter quae in tuam amicitiam me venisse gaudeo; in primis te mihi carissimum faciunt adeo consentiens cum lingua animus, ut nullum fucum (quod multi faciunt) verbis tuis illinas et ita sinceriter ames, ut ne suspicio quidem esse possit fallere te. Quod cum ita sim expertus saepe, ut iterum experiri puderet et incivile esse ducerem, tu ipse animum fecisti id audendi iterum. Verum est certe, ut in igne aurum, sic in necessitatibus probatur amicus. Nec tantum lingua amicum agis tu, sed rebus ostendis vera te omnia dicere ac loqui de amicitia. Ac vivam misere, si non admiror id aetatis in te talem animum. Quantus erit annorum accessu! Sed blandior tibi: quia cupio aliquid. Blandior autem! Ita per Musas blandior: sed ex animo. Quid enim dissimulem? Ita blandior, ut intelligam, quam multo plus debeam, si vel tu patiare vel ego possim. Quod si tua in me benefacta in cumulum

---

Adnotatio critica. Hanc epistolam, quae iam in Epist famil. p. 37 sq. publici iuris facta est, denuo ex apographo saec. XVI, quod in Bybliotheca Carolo-Alexandrina Isenaci servatur, excudi eo consilio voluimus, ut non solum Camerarii iudicium de Draconitae illa editione mendosa latum confirmaretur, sed etiam saepius auctoris et sententias et verba mutata, depravata, obscurata esse appareret. Hanc epistolam Erphordiae anno 1520 scriptam esse cum iam ex editione impressa constet, nunc de tempore eius et consilio nova discimus. Rogat enim Hessus Draconem, ut pecuniam sibi commodet, ne Paschatis celebrationibus deesse cogatur. Praeterea Martini de Marthen — is enim Martinus ille est — memoria et nonnulla alia sat ingeniose dicta restituuntur. — Editionis autem diversae lectiones hae sunt: 4 amicitiam tuam venisse me 5 cum primis charissimum te mihi 7 faciunt] assolent 9 esse *om.* 10 ecce tu O quam verum est illud: ut aurum igne, sic amicus necessitate probatur. Nec enim lingua 13 ac loqui] et facere Ac vivam] vivam igitur 14 mirer talem in *te* 15 Sed] at tibi — aliquid] tibi, inquis? *16 Ita om.* 17 at blandior ita 19 etenim si

aliquem congeram ac contempler, pudeat sane me, quod nullo ad hunc usque diem insigni aliquo testimonio te affecerim, praeconio evexerim, titulo ornarim. Sed ita me ament Musae et Gratiae, iamdudum tale quidpiam gestio, quo meum Draconem vel inter semideos heroas positum immortalitatis gloria donem. Nunc oro te, rem istam nobis expeditam da. Est enim hoc iam maxime tempestivum et opportunum. Quod si procrastinatum erit negotium, fuerit etiam amissum. Nihil tibi decedet. Ego post paulum fidem tuam liberabo. Iam enim fortuna orbem istum circumagit spiratura blandior ac melior. Ex literis victitamus. Tuo vero auxilio non modo emergemus altius, sed etiam gloriose triumphum illum paschalem spectabimus. Hodie primae decadi Livianae colophonem imposuimus. Quaesissem te domi, ni fuisset in animo scribere, quae coram adeo non audebam. Scis enim minus epistolam erubescere. Quam suaviter heri nos habuisti! quam dulcem quamque regiam cenam dedisti! qui sales! quae facetiae! Nihil ista consuetudine amabilius, nihil isto convictu formosius.

Sic ubi conveniunt, tractent convivia Musae
Et blandae Veneres et niveae Charites.

Sed ne poeter etiam nunc, cum licet minime, satis haec ad te nunc. Valebis, mi carissime Draco, faciesque, ut simus una hodie. Aderit et Martinus noster. Sed heus! placetne, ut vel hodie vel cras cucullato alicui insusur-

---

1 coniiciam atque quam porro me pudet, quod nullo te adhuc testimonio insigni affecerim 3 Sed — Draconem] id est, Draconem meum animum 6 donarim Sed oro te nihilominus, Draco, per amicitiam nostram vel sine meis testimoniis et divinam et aeternam, ut rem nobis istam nunc expeditam des, quum maxime tempestivum et opportunum est. Nosti proverbium: Fronte capillata, post est occasio calva. Si procrastinatum ergo negocium fuerit, fuerit etiam amissum. Hodie .. 14 colophonem (quod dicitur) 15 ni — erubescere] si solus fuisses 17 quam dulciter? quam regie? qui *sales?* *18* Nihil ista] nil tua 19 Nihil isto] nil tuo *22 cum — nunc]* haec ad te satis 24 hodie una Aderit —

remus, quod hoc anno a nobis aberratum sit a scopo Christi? Bene vale et Hessum tuum ama.

Erfordiae 1520 (circa Pascha, h. e. 8. April.).

19. Eob. Hessus H. Baumgartnero.

(Norimbergae). 20. Ian. 1527.

Ornatiss. viro Dn. Hieronymo Baumgartnero[81], viro consulari, amico summo suo.

S. Remitto velut postliminio tibi tuum Macrobium, humaniss. Hieronyme, digniorem ratus quam cui sic inconsuto et investi quotidiano usu multum deteratur. Tibi gratiam habeo maximam, qui tam diu usui dederis scriptorem, quo non magis ego in explicando Virgiliano poemate[82]

---

noster *om.* 25 placentne ut cras alicui cucullato in aurem insusurremus? rides? Scio namque dices: Christus est et remissio peccatorum et satisfactio pro nostris delictis unica. Sed vale et Hessum tuum deama. Erfordiae 1520.

De aliis quattuor epistolis, quae in cod. Isenacensi habentur, hic gravissimas lectionis diversitates congeramus. Epist. famil. p. 254 (Io. Draconi) quamvis magnos homines] indoctos homines *cod.*; videmus igitur editorem, ut ex illa epistola ea, quae Hesso inhonesta videri possent, expiscatus est, ex hac epistola ea, quae Erfordienses offensura erant, delevisse. *Ibidem in cod. scribitur:* istis vanis lemurum ac larvarum larvis sciunt nihil; et cura, ut vesperi nobis non desis. Bene vale . . mi Calliopi (*rectius scribendum* Calliopei, *in edit.* Rosci) Epist. fam. p. 24 (Io. Draconi, sub finem) *cod. mendose om.* Ita victoriatum — fide. De Epist. fam. p. 21 (Io. Draconi) nil notavimus. Epist. fam. p. 85 (Io. Draconi) *cod. supplet post* Caballino: Sed istaec alias portentosa ludibria. Nunc ad te, mi Draco, *et pergit:* Quid ita me blande de secessu ad vos faciendo appellas ac Michaelis nostri humanitatem mihi praedicas? ⟨quam et novi antea et ab omnibus praedicari vehique laudibus video.⟩ Gratum est . . *Paulo infra cod.* Melchiorem, Michaelem ⟨scribam (scil. Mich. Maieberg, v. Krause I p. 257 sq.) aliosque⟩ quibus forsan biduum dabimus. *Deinde cod.* Nam hae nunc elaborantur magnis vigiliis, ut cultiores ac decentius vestitae exeant in publicum. Nam superiore quidem *tempore satis* imprudenter . .

carere queam quam tonsor novacula. Itaque proprium mihi paravi tuumque remisi uti non ignarus te quoque nonnumquam levandi animi causa in id amoeniorum scriptorum genus velut in quosdam laetiores secessus exspatiari. Sed heus tu! quando quod toties polliceris, vel semel praestas? Scin quid dicam? Et vides etiam vellicari te incultis versiculis, si modo tibi a Ioachimo sunt redditi[83], quos redditurum tibi pollicebatur me etiam reclamante. Nam ipsius insperatus reditus argumenti illius seriem turbaverat. Quod si accepisti carmen hoc, non dubito agnoscere te candidum in te animum, si nondum, malo perire quam intempestive reddi. De fide deinde mea nihil velim dubites, quae tametsi tardius quam futurum existimaram redimitur, tamen spero te tarditatem hanc et ipsi mihi ingratam futura certitudine pensaturum. Bene vale. Ego, quod forte ignoras, domum conduxi nuper et situs et aedificiorum opportunitate multo hac, quam nunc inhabito, optabiliorem[84]. Sic enim necesse fuit, ut facerem, cum plures futura aestate futuri mecum sint ingenui pueri, sicut aliquot iam et literis ad me perscribitur et nuntiis significatur, quam qui possint angusto loco contineri. Reliqua, ubi forte convenerimus, agemus. Iterum vale, optime Baumgartnere.

(Norimbergae), ex musaeo nostro[85] XIII. Kal. Febr. MDXXVII.

Tuus Eobanus Hess.

20. Eob. Hessus H. Baumgartnero.

(Norimbergae). 7. Apr. 1528.

Ornatiss. viro domino Hieronymo Baumgartnero amico summo suo.

S. Assiduis ac paene quotidianis interpellationibus me urget ac tantum non cogit, ut suo nomine ad te scribam, N. Theophilus*), cuius gratia iam non semel te adii, ita

---

*) *Nominis memoria incerta est.*

ut subverear, ne dum nimis officiosus in amicum sum, tibi quoque fiam, quam esse debeam, molestior. Sed feres pro singulari bonitate tua, humanissime Hieronyme, hac iterum vice pro amico sincero quidem et erudito, sed paene exs . . so (?) deprecantem, ut si queas, illius causam apud magistratus, qua ratione scis, promoveas. Id etsi facturum te non dubitem et illi necessitatem hanc scribendi ad te isto etiam nomine excusarim, tamen existimat meas literas apud te, si nihil aliud, hoc tamen valituras, ut in memoriam revoces, si forsan excidisset, hominis causam. Quod ut facias, ubi erit commodum et occasione bona poteris, amici causa te rogo. Tametsi enim et mihi ipsi opus esse deprecatore*), tamen quia et mea tibi satis nota est causa et amicum fallere concepta de me spe non decuit, malui deesse ipsi mihi quam non prodesse, si possem, homini de me non male merito. Quod ut in bonam partem accipias, mi Hieronyme, etiam atque etiam te rogo. Nunc in scribendo epicedio Durerio[86] sum, quae utinam non incidisset necessitas et ego potius viventis illius**) summum ingenium fuissem diutius admirans quam mortui inferias peregissem. Nunquam certe minus poeta esse malui quam in talibus talium virorum casibus. Sed dum ita ferat necessitas et vel nolentibus nobis tamen tales casus quotidie incidant et nos, quod officii nostri et humanitatis est, non ignoremus praestare nos oportere. Vale.

(Norimbergae), VII. Idus Aprilis MDXXVIII.

Tuus Hessus[87].

21. Eob. Hessus H. Baumgartnero.

(Norimbergae). (Maio vel Iunio 1530)[88].

Auctoritate et eruditione claro viro D. Hieronymo Baumgartnero, amico incomparabili suo.

S. Brevi spero me initurum rationem aliquam, qua tibi

---

*) 'scio' vel tale quid inserendum est.

**) Cod. *illis*.

molestior esse desinam, optime Hieronyme. Quamquam ad haec interim officia, quibus me conservas, et opes tibi adesse, animum etiam superesse certo scio. Peto nunc quoque, ut unum victoriatum mittas, quo ego in domestica re nunc indigeo; proximum debebam, quem et exolvi, hoc mihi opus est. Mitto Philippi et Spalatini literas ad te, ut videas simul et me cupere videre ista comitia et Philippum de mea causa esse sollicitum[89], nam hac parte ad te quoque pertinent hae litterae; octiduum est quod accepi. Praeterea miserunt catalogum omnium principum nunc Augustae Caesarem expectantium et quid spei reliquum sit, quem etiam Io. Mylio[90] iureconsulto dedi, qui et hodie remittet; alioqui et istum misissem missurus, si voles, cras. Vale.

(Norimbergae, Maio vel Iunio 1530).

Tuus Hessus.

22. Eob. Hessus Phil. Melanchthoni.

Erphordiae. 1. Iul. 1533.

D. Philippo Melanchthoni viro summo, amico carissimo suo.

S. Rediisse me Ephordiam[91] credo audivisse te, mi Philippe, et intelliges ex nostro Veltkirchio[92], qui has tibi, ut existimo, reddidit. Idem vero tibi exponet de reliqua mea fortuna. Qua conditione[93] apud Noricos egerim, tu inprimis nosti, qui tuis, quod dicitur, manibus eo me imposuisti[94]. Inviti me dimiserunt optimi viri Noribergenses meique . .*) et tui amantissimi. Neminem ibi hostem, omnes amicos reliqui. Conati aliquoties sunt retinere me aucto etiam salario annuo[95], sicut etiam conatus est optimus tuus princeps Vitembergam me pertrahere, cui utinam obsequi potuissem! Sed quid facerem? Data iam fides erat huic civitati, quae scripto publico revocatum me iam sibi

*) *Codex hoc* loco lacunam habet; v. praefationem.

obstrinxerat. Ioachimus bene valet et frequentissime nunc ad me scribit, qui quantum, quod me amiserat, doleat, malo te ex ipsius quam ex meis literis cognoscere. Ego certe, si vivam, ut illum huc attraham, nullum non movebo lapidem[96]. Spes bona est fore, ut hic non omnino male habitemus, modo dominus dederit vel aliquam, nam plenam ne optare quidem possumus huic civitati, concordiam[97].

Reliqua sicut dixi, exponet tibi Veltkirchius, nam non vacabat nunc pluribus tecum agere. Hac rogo, ut exploratum animum istum tuum erga me conserves. Hoc erit et mihi honorificum et tibi, ut spero, non indecorum. Saluta (tuos)*) et maximum virum D. Lutherum, cui brevi scribam; cuius honorem ego, quantum in me est, etiam inter hos (furores) tuebor ac defendam[98]. De qua re tamen quid attinet scribere, ⟨cum⟩**) ad te scribam? Saluta carissimum D. Iustum Ionam (et) Theodorum[99], cuius patriam satis scio ipso valde invito (me reliquisse). Vale in Christo, carissime mi Philippe mihique . .***) tu aliquando scribe.

Erphurdiae, vigilia visitationis Mariae MDXXXIII.

Tuus Eobanus Hessus.

23. P. Melissus H. Baumgartnero.

(E Gallia). (Intra a. 1584 et 1590).

S. D. Hier. Baumgartnero Septemviro[100].

Ter mecum fecit sub finem Iulii Fortunatus Crellius Carinthus[101], per aliquot milliaria. Is sese totum quasi mancipavit Aristoteli; Graece enim et Latine doctissimus est. Offert studium et operam suam, si qua illi professio in academia vestra contingere possit. Uxor ei tantummodo est, nulli liberi. Multis abhinc annis mihi cum eo intercedit notitia. Eum tibi, Baumgartnere praestantissime,

---

*) Sic codex, ut etiam infra.
**) Hoc nos inseruimus.
***) *Lacuna in cod.*

unice commendatum esse velim. Ceterum quod in oda quadam mea, antequam ad Rhenum contenderem, rogavi, non amplius rogo. Cum enim ipsi areolam nostram et aedificiolum (d. h. Hindergebeude, welches baufellig, ad marg.) instaurandum contemplati, necessariam esse, vel hospitis mei[102] testimonio, structuram censueritis, illam ipsam dico, quam ante biennium (nondum tamen factam) annuistis fieri, ibi percommodum construi posse Museum, versus Gabronis hortum, vos tantum commonefacere volui. Quod ne negligatur, operae pretium est. Bene vale et me ama.

(E Gallia, intra a. 1584 et 1590)[103].

Melissus.

24. P. Melissus H. Baumgartnero.

Lut. Paris. 25. Iul. 1584.

S. D. Hieronymo Baumgartnero triumviro reip. Norimbergensis amplissimo. *9. Aug. 1584.*

Cum operam meam iis, quorum nomine mecum actum fuerat, addidissem, atque res propter luctum in aliud tempus reiecta esset, accidit, ut postea profectione[104] maturanda praeter opinionem fuerim occupatissimus; nam omnia simul eodem momento peragenda erant. Quae quidem impedimento fuerunt, ut mihi non licuerit amicis veteribus valedicere, praesertim tibi, Baumgartnere praestantissime, quem mei semper amantissimum studiosissimumque esse cognovi. Quare mihi ignoscas, etiam atque etiam rogo. Tempus me defecit, voluntas nequaquam mihi defuit. Rationes certe quidem hominum dimetiendae veniunt et circumstantiis temporum. Quodsi saltem diecula una mihi reliqua fuisset, pluribus utique satisfecissem; atque adeo, quia tutemet ultro Heusleri typographi[105] mentionem iniiciebas, hominis in negotio, quod mihi cum eo est, insigniter et mendacis et impudentis, id est, ut uno verbo dicam, perfrictae frontis, haudquaquam passus fuissem rem *illam sic abire.* Verum quia ante festum Paschatis de eo

conquestus fueram; et summis tuis occupationibus res dilationem nescio quo fato sortita erat, profectionem meam dubito sane, an turbulentis litigationibus implicari consultum fuerit. Iniuriam certe ille facit cum manibus et Cropacii[106] et Crucigeri[107] tum mihi viventi, quam equidem profecto inultam non sinam, non patiar, non feram. Quod si tute vel ea auctoritate, qua polles ac certe pollere debes, rem composueris, vel interfatu hospitis mei Rauenbuschi[108], quem tamen ille non audiet, mitiorem reddideris, est, quod utriusque operae atque felicitati acceptum feram. Alioquin (quid enim dissimulem, praesertim apud te?) hominem ita tractabo, ut meritus est atque illi perpetuam ignominiae infamiaeque notam ad posteros inuram, pariter amicos defunctos et me ipsum vindicaturus. En, oculos tango! Tantoperene saevis? inquis. Immo non saevio. Quod promisi, et solvam. Ita stat sententia. Promisi autem ultorem, nisi ille satisfaciat, neque me quisquam prohibebit mortalium, quominus tali illum mactem infortunio. Rem indignissimam! Litteras Reyskiorum ad me measque consignationes ratione debili appellarunt ANITERGIA. Intelligis foedissimum vocabulum, quomodo in lingua Germanica sonet. Pudet me de his rebus scribere; sed efficiam, ut illum magis suae fraudis atque technarum, si modo vivet, pudeat, pigeat, paeniteat. Hominem ad te arcessi ubi iusseris, nihil praeter nugas adferet et involucra. Sed ubi ipsum attentius intuitus fueris, malitiosissima perversitas ex oculis illius effulgebit. Atque de his hactenus.

Dum haec scribo, in mentem mihi venit eius, qui me aliquando apud te non modo accusavit, sed immerito, verum etiam calumniatus est, sed veteratorie, quam quidem rem quasi sopitam, ut ille existimat, iam excitare supersedeo. Huius enim loci non est. Tantum audi obsecro miraculum. Inter calumniandum mihi vehementissime tinniit auris sinistra, ita ut plane obstupefierem, atque dum respicio, ecce annulus meus, qui est ex auro purissimo solidissimoque, insignibus meis[109] circumdatus, in pallorem alboremque argenti degeneravit neque maculas illas amisit,

donec tu me vocasses atque rem alio modo, hoc est candidius castiusque, interpretandam esse expiscatus esses. Nondum sciebam tum, quid factum esset, cum tu quasi captiose perscrutareris interpretationem versiculorum meorum; postea comperi, in qua olla crambe coqueretur. Malui tamen iniuriam illam senis devorare, quam apud vos peregrinus et hospes cum essem, Camarinam movere, memor nimirum, qua mihi et Aurelius Senensis, Venetiis cum essem[110], et Caesaris Mathematicus in comitiis Augustanis, ut mihi a sene quodam, qui me ad magistratum calumniaturus esset, diligenter caverem, tum verbis vivis tum scriptis monentes praedixerant. Unde perspicuum est, quanta sit vis fati, quanta malevolorum perversitas, ut etiam innocens opprimatur. Verum de his satis. Francus esse non desino[111]. Tibi candorem meum cognitissimum esse scio atque adeo integritatem animi probari. Extremum est, quod te maiorem in modum rogo, ne patiaris hospitem meum Rauenbuschum clam apud te deferri aut illum ex aedibus renovatis exturbari[111a]. Iam enim inaudieram sub discessum eiusmodi quidpiam a nescio quibus tentari. De quo coram tecum collocutus fuissem, nisi brevitate temporis patrocinium fuisset interclusum.

Quod reliquum est, te obtestor, ut pristinam tuam in me benevolentiam conserves et adfinem tuum PALMAM med.[112] ex me officiose salutes. Vale.

Dat. Lutetiae Parisiorum, XXV. die Iulii a. MDLXXXIV.

P. Melissus.

Paulo Foerenbergero[112a] dabis, si quid ad me voles. Au Faubourg S. Victor, à l'image notre Dame, aupres du chapeau rouge[113]. (Ad marg.:) Epigrammata mea duo sunt scripta manu Baronis Zernemblii natu minoris, qui una cum fratre Io. Chro.[114] te plurimum salvere iubet.

25. P. Melissus H. Baumgartnero.

H(eidelberg)ae. 29. Iun. 1590.

S. D. Hier. Baumgartnero septemviro.

Litterae tuae, Baumgartnere praestantissime, cum mihi redderentur, infirma admodum eram valetudine, imbecillior etiam factus, postquam te cum podagra vehementissime conflictari inaudiissem. Morbo meo causam praebuerat aeditimus, homo vilissimus, carbonibus prope Bibliothecam[115], ut horologii machinae ferreae exurerentur candefierentque (zur Ausglüung des Uhrwerks, ad marg.), succensis, unde sensim fumus ille venenosus et pestilens, olei rancidi fraces olens, in Bibliothecam penetrans ita caput et cerebrum mihi invasit, ut ex obstructione tantus catarrhus, tanta tussis eruperit, quae febrem continuam excitaverit. Interea nebulo ille aufugit, deprehensus cum ancilla non semel in templo rem habuisse, ac quidem cum tali, cui ille tutor datus fuerat. Profugus etiamnunc oberrat moechus et adulter. Habes de valetudine mea. Ab anno Christi MDLV. nunquam postea aegrotavi, nisi semel, per triduum, mense Maio anno MDLXIX., Genevae cum habitarem[116], febre vexatus, quam conceperam ex subita admiratione, cum puellam nobilem Gallam eamque formosissimam, in aedibus Henrici Stephani[117], mihi ad sinistram adsidentem (conveneramus enim aliquot musici)[118] praesentibus honestissimis matronis earumque maritis, Orlandi[119] cantiones Gallicas summa cum suavitate et vocis elegantia, testudine, quam increpabat digitis, admota, modulantem personantemque audivissem. Movisset illa, imo permovisset Caucasum aliasque cautes multo duriores, nedum Melissum. Ad quid haec narras? inquies. Ut de perpetua alioqui incolumitate cum animi tum corporis mei tibi constet. Temperantes sumus et sobrii iidemque manemus. Utinam pro te votum facere possem, Baumgartnere prudentissime; facerem utique rogaremque Deum opt. max., ut si non omnino tolleret, saltem ex parte mitigaret *dolores illos pedibus* tuis infestissimos. Nosti animum

meum, nosti mentem. Tuum ego itidem animum novi, novi mentem. Utrique adstipulantur litterae tuae humanissimae, quae me in ipso morbo mirum in modum sublevarunt. Recordor iam somnii mei, quod de te habui Augustae Vindelicorum[120], anno MDLXXX., antequam te unquam vidissem. Visus es me peregre advenientem summa cum humanitate amplecti, dulcissimo compellare alloquio vultumque eum ostendere, qui nunquam fallit. Accidere postea illa omnia et multo plura quam narrare queam, de quibus aliquando testimonium perhibebunt Musae nostrae[121]. Adornatur enim secundum volumen Poematum meorum[122]. Primum, in quo tres partes continentur, excusum est Lutetiae, anno Christi MDLXXXV[123]. Interim de benevolentia in me tua gratiam tibi habeo habeboque semper. Tu quia iam princeps es in republ. vestra omnium laudatissima, non dubito, quin te eum virum praestes, qui non tantum viris bonis amandus, verum etiam sis malis formidandus. Os compesci vellem isti maledico, quem me dicere sentio. Mira huc perferuntur de illius fervore seu potius furore[124]. Et tu istaec perfers? Et tu istaec toleras? Et tu istaec pateris? Statue tandem exemplum, quod posteri admirentur. Ignosce mihi quaeso, amice magne, aperte tecum loquenti. Christianus Saxoniae princeps elector blateronem Selneccerum Lipsia exegit[125] aliosque locutuleios et linguaces in verba nimium provectos e ditione eiicit; vos idem facere non par esset? Vetare saltem, ne criminentur, si istos ita sinitis. Nimiam patientiam vestram sunt qui incusent. Verum progredior longius. Haud frustra facis, quidquid facis. Erit profecto, ut iniuriam vindices; hoc certo scio. Interim tempus abit, et isti arrogantia insolescunt. Bene vale et me porro ama.

Dat. H(eidelberg)ae die XXIX. Iunii anno MDXC.

Tui observantissimus Cleonymus.

26. Ianus Gruterus Conrado Rittershusio amico salutem et amorem[126].

Heidelbergae. 21. Ian. 1593.

Quidni enim et hunc[127] redonem amanti: et vero, vir clarissime, literas tuas legi lubens, intellexi lubentissime; nec quicquam est quod magis voveam quam tibi tuisque similibus h. e. virtutis doctrinaeque politioris ornatis purpura innotescere atque adeo assuescere. Itaque sitienter amplexus sum benevolentiae has tuae non vulgares notas tibique redhostimentum promitto fide plane Romana. De ieiuno carmine quod gratias agis, indulges affectui. Nam ego quod debebam tibi, quod volebam non potui. Satis bene mecum actum fuisset, si semel legisses et deinde in ignem. Sed nec est praeterea quod magnum tibi de . .*) isto pollicearis circa litteraturam meliorem, cum quicquid in me potuit esse vigoris, id iam decennalis fere peregrinatione[128] an iactatio decoxerit. Tantum approbare tibi possum cor sine fuco, sine dolo quodque dicta factis honestare, qua licet per fortunae novercantis quae me hactenus circumvallant hamata tela. De adventu meo ad vos[129] non est mentitus Gentilis noster[130]; sed non est tamen, quod ea me beet quam fere devoveram felicitas. Accipe rationes. Iam maxime laborat Commelinus[131] in excudendis meis ad Senecam animadversionibus[132] adeoque id crescit opus sub manu, ut finem nondum evolvam. At vero fere est, ut vere proximo ad Batavos me conferam vocatus illic stipendio satis honesto[133]. Dicerem certo me abiturum, nisi quod hic in aula potentes favori**) suo nimium indulgentes hanc operam meam sibi impensam mallent quam patriae. Verum nec ii aliquid certi, quia cum novam mihi decernere velint provinciam, opus est homini famelico quod pappet. At de commeatu isti ap-

---

*) Verbum circa X litterarum scriba omisit, qui has litteras *transcripsit.*

**) *Cod. favore.*

paratuque non adeo instructi ex voto, arctis his temporibus. Sed bene, quod licet longius dissiti, veri tamen sermonis imaginem repraesentare licebit epistolis familiariter scriptis. Ego certe vices meas pulchre servabo, hactenus ut loquar, non etiam ut recte, ut curate. Qui enim, quaeso, tam putide ad amicos? Immo vero ne nescias, mi Rittershusi, is mihi mos, ut isthaec, quae uno stans in pede expedio, ne relegam quidem; ne forte putes me vel nunc vel deinceps excusaturum eorum impolitiam. Vale, vir eruditissime, et salutem plurimam viro cl. Domino Gentili nec non D. Taurello[134], quem licet de vultu non viderim unquam, at ex versibus[135] iudico aestimoque hominem doctum, hominem argutum et nostrarum omnino artium.

Heidelbergae, die XXI. Ianuar. MDXCIII., quem tibi et novae nuptae[136] felicem opto fecundumque.

27. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 24. April. 1593.

S. P. Multum me cepit familiaris ille sermo, qui in postremis ad me tuis, clarissime Rittershusi, et vellem hercle praestare aliquid opinione tua affectuque isto vestro dignum. Nunc ut haec sunt tempora, sola tibi oportet satisfaciat voluntas eaque sane in te tuique similes plane sum eximia neque vestrae observantiae et amori quicquam facile praetulerim. Quod igitur felix et faustum certemus hoc certamen, in quo nunquam me succumbere sinet cupido ille quisquis est, quo me totum ad vestri approbationem formo excoloque. Nam mero amore ne ipse vincendi quidem spe ad me irent Damon aut Phintias, adeo hic vere invictus ego, voluissemque nupere in fatis fuisset propiore tecum congredi duello; terga nusquam vertissem. Verum quoniam id non licuit et hic Palatino defigor clavo, saltem longe iaculemur alata verba tincta *non veneno* lethali, sed melle illo, quod inexstinguibilem *incutiat cordibus* aestum quemque nec exstingui cupiamus

ipsi. Ego certe loquacitate me parem praestabo vel garrulae ranae, tu exhibe quaeso lusciniae harmoniam atque eam auguror visuram (*sic*) in iis quae paras scriptis, quibus Perficam adprecor faventem et Perennitatem. Nostra quod expectas, frustra es. Seneca etiamnum in fasciis iacet ac cunis, nonnulla mea, sed maiore typographi negligentia, cui deest charta. Ad orationem quod attinet in memoriam heri mei Dom. Christiani Saxoniae Electoris etc.[137] vellem ut debeo, nisi morarentur me alia. Cupio enim altera oratione comprehendere reliqua quae priori deerant, quae etiamnum requiro. Sed tamen ut dicam quod est, non vestris illa scripta auribus, non genio. Suspiciones meas[138] praevorterim, quas lucem quamprimum videre famae meae serio interest. Arbitrari enim possent homines fluxae me fidei et dictis tantum dapsilem. Eis si tua Peitho epigramma paucorum imputaverit versuum, tam erit gratum quam quod gratissimum[139] obligaborque libens ad simile officii genus. D. Taurellum de salute mea[140] quod compellaveris, multum te amo, multum quoque debebo, si Emblemata ipsius[141] per te nanciscor. Praestans oportet sit ingenio, qui et tam floridis cum laude vacet; itaque et iterum ei a me salutes recenti amoris litas unguento. Qui tuas attulit, Nic. Mullerus[142], soceri[143] opera mensam sortitus et habitationem loco est commodo; ei praeterea si quid potero, libens praestabo in tuae spem gratiae. De Fastis Chytraei[144] dictum D. Posthio[145] nostro quod volebas isque te adeo resalutat. Libitinam avunculi Iunii[146] iam mittam, si exemplaria apud Commelinum; iam enim hoc ipso eum exspecto reducem ex Francofurtensibus nundinis momento. Si tamen morabitur diutius, at postea tamen habeas faxo. Istas enim desubito exaravi nactus hominem amicum, domi nobilem, qui recta ad vos, ut inde in Italiam. Ignoscas igitur impolitiae, si et hic minus accuratus quam de more, quo tamen nihil alioquin impolitius. Vale et salve, amice perpetue, cum tua Iunonene an Venere.

Heidelbergae, die XXIV. April. MDXCIII.

T. tuo iure totus I. Gruterus.

28. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 26. Iulii 1593.

Etsi pridem nuperis tuis responderim unaque miserim Iunii nostri ut petebas Libitinam, vix tamen me tempero, quin scriptionem instaurem, cum norim recentes amicitias frequenti sermonis quasi rore fovendas augendasque. Cur id magis velim, facit oblata commoditas. Mecum enim hic est communis amici D. Wesembecii[147] scriba. Quid igitur? Communibus tubis et quae aures suaviter titillant uti sane amplius non decet, utpote qui iam invicem alter alterum probe norimus. Itaque praescribam tibi exemplar, quod si sequaris, nunquam deerit deinceps quod interloquamur. Scin quale? Emendationes suspiciosas tibi oggeram examinandi causa. Et vero quaero a te, mi argute Palaemon[148], quid sibi velint illa Senecae epist. 96[149]: Audiat licet, quemadmodum servire in sacrificiis debeat, quod*) procul resilire a molestis superstitionibus; nunquam satis profectum erit, nisi qualem debet Deum mente conceperit. Ita omnes editi, omnes scripti. Veniebat mihi in mentem verbum antiquum et cuius usus in sacrificiis: nunquam satis prosectum. De quo Festus et Plautus Poenulo Sc. 'Dii illum'. Idem verbum meo animo aegrotat apud Lactantium, ubi loquitur de Crucis signo: Quod cum intelligerent aruspices, instigantibus iisdem daemonibus quibus proserant etc. Legerim fidenter: quibus prosecant. Specimen dedi rei eius, quam intelligeres volebam; nec plura annecto, exclusus iniquis temporis spatiis. Imitare tamen me, mi amice. Nam quod hactenus sileas, id opinor inde est: non habes, quod commode chartae committas. Salute nuper me beasti tua. De ea gratias tibi habui pridem per Wesembecium easque tibi iam nunc remitto immensum auctas amoris devotissimi aura. Epigramm aquod a te cupiebam, ut Suspicionum uni libello praefigeretur, avide adhuc expecto, nec frustrabis me ex-

---

*) *quam habet* editio Gruteriana.

pectatione mea, si me amas ut amas; festina tamen. Interea vive et vale cum lectissima coniuge et speratis liberis.

Heidelbergae, properanter*) nimis, nec tamen praeter meum morem, XXVI. Iulii MDXCIII., qui dies fuit, quo e iuvenibus transcriberer inter maritatos anno[150].

Tuus omni fide I. Gruterus.

29. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 18. Aug. 1593.

Binas tuas eodem fere recepi tempore, utrasque profecto longe carissimas; et de versibus quidem quas tibi habebo gratias? immo vero quas non habebo? Obruis enim me hoc munere neque satisfecero, non si ternas Orchomenes miserim deas Suada comitatas Dione; ita non solum prodigus es dono, sed et doni bonitate. Malim tamen omnia, mi amice, circa me et de me modestius. Nam non ego ille, quem vana fingis imagine. Doctos probosque imprimis amo atque observo, inter quos te colloco, tantum non in loco principe. Haec mea sit fama. Sed de hoc satis. Versus tuos vere aureos ad Lydium habuit lapidem noster Posthius et unum atque alterum verbum paulo illustriore posuit loco. Nos etiam, cum excudentur, nonnulla emollibimus edulcabimusque nulla adhibita vi, non quia id valde requirunt, sed quia id tu tam amice requiris. Et alioqui iam longe alius sum ab illo, cui antea solum placebant terrai frugiferai[151], tum genii mei nescio qua maturitate tum monitis Melissi nostri, qui mollia tantum amat et quae dulci fluunt tramite nullis intercurrentibus saxis. Video te putare titulum esse 'Suspicionum' annotationibus illis atque emendationibus, quas paro ad Senecam; sed falleris. 'Suspiciones' illae[152] quidem Senecam multis emendant illustrantque locis, sed Plautus in iis atque Apuleius nec non Ovidius et Mar-

*) *Cod. propenter.*

tialis potissimas habent partes; iis inquam proprie dicatus est. Specimen edidi ante annos tres[153], quod requires, si tanti est, a nostro Wesembecio. Is enim, ut puto, habebit exemplar. Itaque quod epigramma te poscebam, erat iis libris proprie, quorum unicuique tale attextum emblema ab amicis, hicque habes aliquam multa, quae deinde suis ponentur locis. Utinam et inter eos versus illi arguti, quos nimis iniurie tardipedi dicasti deo, cum debuisses potius Iovi philio et natae eius Thaliae. Si verba tenes, quaeso fac memineris numerorum eosque una habeam cum epigrammate nostri communis amici D. Gentilis; puto enim iam exambiisse[154]. Quod ais de Senecae exemplari, quod Basileae, laudo iudicium. Sed tanti laboris est comparare haec ista cum impressis, ut huiusmodi onus non suscipiam amplius. Si tamen quis illic, qui inde ad nos mitteret excerpta, munes nos experiretur nec suam ei invideremus in libro illo nostro gloriam aperta nominis professione, tanquam per quem profecissemus. — Sic est. Iunius habuit olim sibi coniugem eam, quae erat uxoris meae matertera[155]; iam tamen hic non agit, sed Lugduni Batavorum, ubi*) ante annum abiit. — Tuum 'delicare'[156] tam verum est quam quod maxime. Et quaeso te, quid annotasti ex illis Camerarii libris? Nam ego unum ex iis (unum enim tantum superesse putaram) a Camerariis petii[157] et habebo. Debebam et ego quoque[158] nunc etiam aliquid criticum, sed excusabit me tibi temporis punctum, quo haec scribillare cogor alio avocatus. Vale itaque et salve, mi amicissime, cum uxore et liberis; si nondum, Stabilinam oro et Levanam praesto sint.

Heidelbergae dat. 18. Aug. MDXCIII.

T. omni officio I. Gruterus.

---

*) Sic ipsum Gruterum scripsisse crediderim; cf. Gruteri epist. in G. Richteri epist. select. p. 545: 'Brettae, ubi redii ante tres menses'.

30. I. Gruterus C. Rittershusio.

(Heidelbergae). 13. Sept. 1593.

Epithalamium tuum et D. Gentilis tam opportune accidit, ut nihil supra. Ipso die scil. nuptiarum[159] ad manus meas pervenit, quod non potui non arripere pro secundissimo omine: eaque propter etiam vobis multo maximas ago habeoque gratias, amicorum sincerissimi. Ita loquor, quod nunc nihil scribam D. Gentili, qui sane non curat legere litteras meris tantum refertas gratiarum actionibus et ego alioquin iam integrum mensem cum morbo conflictatus non sufficio scriptioni multae. Tantum libuit tuis rescribere, amice Rittershusi, quod et alteras nuper a te receperim, quibus ut respondeam tua forte interest. Et de Coleri carmine etiam ego ei plures memini grates: tamen scire cuperem, ubinam degat, ut per occasionem epistolis eius aliis redhostiam sciamque, quando pericula eius Iuvenalia[160] lucem sint visura. Praelegi partem postremae tuae epistolae, qua ad Posthium erat; is de fide sua securus est, tantum tramittas occasione opportuna. Gaudeo ego sane aliquantum adiumenti attulisse MSS. illos Codd. et precor Deae Perficae, Deae Perennae Annae, ut liber ille[161] tuus feliciter prodeat. Debeo ego ei epigramma meum[162]; sed cum videam te adhuc haerere de typographo, non puto mihi festinandum. Male profecto agitur cum litteratis, quod cum immensos exanclarunt labores, postea tamen emendicare quoque debeant typographum, qui gratis eos excudat. Wecheliani heredes[163] admodum sunt tenaces nec habent manus nisi oculatas[164]. Putarem aequius transigi posse cum aliis illis, qui sunt Francfurti, Fischero et Tack[165], ita quidem ut praeter exemplaria nummi aliqui tibi obvenirent. Sed et Ioan. Wechelii successor non ineptus dicitur. Commelinus noster facile rem susciperet puto, sed cunctatio eius nota tibi est. An unquam Senecam meum et Animadversiones[166] ab eo receperis, scire cupio; item, quid tibi placeant; ut et an *non satis proterve* post te Querolum perlustrarim. De

hisce nunquam te scripsisse mirarer, nisi arbitrarer scripsisse te quidem, sed intercidisse litteras. Ego iam in morbo meo prorsus obbrutesco nec possum animum revocare ad disciplinas illas pristinas. Melissus noster iam convaluit ediditque Meletematum libros[167]. Iam tibi decreveram mittere manes meos Donellicos[168], sed migratione ista mea[169] non poteram invenire. Id tamen proxime faciam. Interim salve et vale, carissime Rittershusi, et me si mereor ama.

T. T. I. Gruterus, qui isthaec scribebam nec sedens nec stans nec cubans, sed omnia (Heidelbergae) die 13. Sept. 1593.

31. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 15. Sept. 1593.

Nae tu literarum et amoris es largus, mi Rittershusi, qui ad me tam liberaliter. Et de Epigrammate quid iterum nisi putas puras gratias? Tu posce, cum libet; paratas servo, et si cessas, vel repraesentaturus. Iamque adeo eius rei iam nunc fecissem initium (debebam enim Genethliacum in primam illam prolem)[170], nisi me abriperent plurium epistolae, quibus hisce nundinis satisfaciam oportet. Ergo iam tantum ad tuas. Quid ni nobis sapuisset elegia, cum tota esset mattya? Sique imparatus tam electa proponis amicis, scire vellem, qua accipias coena pridem invitatos? Nam sane et Epigramma istud tuum in Suspiciones nostras valde opiparum, palatuique (!) meo proprie esset irritando, nisi nimis quam multum addidisses sacchari. Parcius itaque posthac in meas laudes. Si culpa careo, bene agitur mecum, qui nondum in XIV sedemus, nedum ut occupemus orchestram. Manuscriptum illum priorem[171] quod ita apertis laudas labiis, iure facere arbitror. Nam et ego, qui vulgatas plerasque contuli cum ipsius traduce editiones, id nimis quam expertus sum gratulorque mihi, eius mihi brevi fore copiam. Brevi *quam; nam prius* stat absolvere Senecam. Versus ille:

Qui ipsus sibi etc.[172] nulla parte spurium se prodit[173], et scimus alioqui, quam multa eraserit[174], quae spurcum quid continere<n>t, ac tamen intermedia ita aptarit, tanquam si iure cohaererent. Verum nefas sit viri tanti eruditionem atque industriam ab ea aestimare editione. Maiora et meliora eam reddunt incarpibilem. Querolum quod paras nominis mei praescriptione, quid nisi me querolum facis? quod videam ea ratione in eas me incidere pedicas, unde nulla me exsolvat gratitudo. Si tamen tanti tibi sum, me hercle vinciar libente, ut tu eo magis conspicuus sis novus Hercules Musagetes. De Commelini opera[175] nunc nihil possum polliceri. Ipsus enim Francofurti est. Scribam tamen, quid velis. D. Posthium cras salutabo. Nam iam primum tuas recipio et est, qui eas Francofurtum. Freherus hinc abest Moguntiae apud amores suos[176], opinor. Iam abrumpo; tu itaque cum tua, cum tuis bene vale et salve ab eo, qui semper tuus

Ianus Gruterus.

Heidelbergae, meo more raptim, die XV. Sept. MDXCIII.

32. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 27. Sept. 1593.

S. P. Iam totus eram nescio quarum rerum, cum venit ad me quidam, qui diceret recta se ad vos. Equidem etsi nuper admodum Francfurtensi via leviter tuis rescripseram[177], libuit tamen arrepto calamo hoc addere quod vides. Fuit nudius quartus apud nos opt. ille Ioach. Camerarius[178] et doleo adeo repente avocatum hinc ad principem nostrum ad arcem paulo remotiorem: libens enim et ei humanitatis quaedam exhibuissem officiola, et ut die sequenti nuptiis Melissi[179] interesset optabamus. De iis quid tibi dicam? Bene decurrerunt ad finem. Ipse ut speramus factus est vir salva sponsa. Epithalamia plures ei fecerunt[180], sed nulla excudit. Ne tamen sine *iis tam festum audires* nuntium, libuit addere alia eiusdem

nominis, quae in Principem nostrum ille ipse vates, quibus et ego quaedam intercinui[181], anser inter olores. Emblemata illa Taurelli[182] tui, immo et mei (nam ex quo me salute honestiorem fecit, in classe reposui eorum, quos amo et aestimo) avide expecto mirorque nondum publicata. Misit mihi pridem Adrianus Burchius piarum similitudinum farraginem[183], librum hercle pereruditum quique emblematum nomine rite insigniri posset. Ut pridem amicissimam tuam relegebam Elegiam, veniebat in mentem post Erasmum iure merito ponendum Pincianum, utpote qui Senecae plus boni contulit quam alii omnes. Itaque si placet vellem eum poneres inter Erasmum et Muretum. Et vero, quia Muretus pessimam operam in poliendo, ut tu vocas, Seneca adhibuit, velim, si posses, illo hexametro Pinciani meminisses, ut tantum de Mureto esset tale aliquid:

Notisque
Muretus mactum misit in ora virum.

Quoniam nomen Hispani illius non ingreditur in versus, poni poterit: natus Pincia, Pincia quem genuit. Sed et ubi digrederis in recensum doctorum, quoniam facile potes, non incommode de Frehero (cuius primam corripi vult Melissus, produci secundam) et Posthio plusculos versus feceris. Quod si forte non est, quod sufficiat ad disticha implenda, adsumas licet amicissimos mihi consiliarios intimos Principis nostri nobilissimosque et egregia doctrina, Henricum Suerinum, qui contra Cuiacium scripsit, et Volradum Plessen[184], hominem elegantissimum circa res Charitum Musarumque et studia elegantiora callentemque linguas expedite Gallicam Italicam Hispanicam. Ambo sunt meae aetatis, annorum plus minus 34[185]. Vides, quam impudenter tibi tanquam praescribam; sed ignosces, cum id faciam mero tui amore. Mirari enim possent nonnulli, quod tam late exspatiareris in laudem aliorum hosque herum ac Posthium unico absolveres verbo. Ita ego ille scilicet suspicax. De Querolo tibi etiamnum *lere* ⟨*non*⟩ possum, quod nondum a nundinis redierit.

spissigradissimus ille Commelinus. Quoniam tamen non est multarum chartarum et Germaniae paene invisus, puto libenter excusurum. Nihil tamen praevertet animadversionibus meis in Senecam, quia damnum ei in mora. Expressit iam anno folia plus minus L et restant totidem aut potius plura. Suspiciones meas non edam, priusquam et utrumque illud Camerarianum perlustraro exemplar, item quinque sex septem MSS., qui sunt in bibliotheca Palatina, in quibus tantum comoediae priores octo. Sed et servant hic Apuleii libros de asino aureo. Eosdem stat etiam evolvere, priusquam quid edam. Tu tua, quae habes, mihi communicabis scio. Senties me hominem munem, id est, qui tuam tibi non invidebit gloriam professione nominum, per quos profecerim. Nonnulla etiam habeo in eundem auctorem a Scaligero, minime profecto contemnenda. Hac ratione, inquies, Suspiciones aliae erunt a prioribus[186]. Verum ais, et an non hoc praestat quam ut mere extrudam Suspiciones, coniecturas nempe nulla nixas auctoritate aut ratione. Est mihi isthic apud vos cognatus unus, nomine Matthaeus Van der Hagen[187] iuris studiosus; eum in tam frequenti literarum dandarum opportunitate nihil hactenus scripsisse vehementer miror. Si occasio est, velim quaeras, an ita assidue occupetur manus tenendo cantharo, ut calamo vacare non possit? At scit tamen esse quaedam, de quibus certiorem me facere et posset et vero deberet. Pithopoeus[188] ante decem duodecim dies dicebat se scripturum ad te; sed cum ante sex dies interpellarem, quod ad vos iret Melanchthonis nepos[189], dicebat nondum parata omnia, quae volebat. Itaque alia occasione literas eius expectabis. Ad Davidis Ψalmos ego quidem nihil habeo, sed misit nuper ad me, item Posthium et Melissum, nonnihil eius generis Carolus Utenhovius meus. Id adhuc restat apud Melissum nec ego vidi. Puto tamen proprie facere ad propositum tuum[190]. Vidi dudum in catalogo nomen iunioris cuiusdam Baumgartneri (nisi fallor), qui parentavit anno praeceptori illi meo Hugoni Donello[191]. *Eo ipso officio sentio* me eidem ita devinctum, ut facer

non possim, quin ipsi inviso ignoto multo maximas habeam gratias et omnia mea adferam ultro: amicitiam certe tantum non impingam. Itaque amicissimam illi a me salutem. Ita sum. Quicunque Donellum amant, praeceptorem meum septennio toto, eis ego quidvis debere puto et quidem meritissimis. Vides rhapsodiam. Sed aliter non procedunt paginae. Verum iam tandem et tu vive et vale cum uxore, cum liberis, cum Musis.

Heidelbergae, meo more praefestine, die 27. Sept. MDVIIC.

Tuus totus si modo suus Ian. Gruterus.

33. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 12. Nov. 1593.

S. P. Amice summe! Has exaro tempestivam quidem nactus, sed citiorem opportunitatem quam aut ego volebam aut tuae merebantur litterae. Ergo quoniam aliter non licet, sic habe ad tuas, verbo uno. Gratissimas mihi postremas tuas, gratissimam inscriptionem Queroli, si excipias laudes meas, quibus nimis inhaeres amiciter. Iis tamen nihil immuto, ut si nulli aliae rei prosint, amoris tui liquidum extent testimonium. Querolum ipsum uti brevi mitteres, cupit omnino Commelinus. Qui has adfert, commoditates tibi significare poterit, Principis nostri consiliarius intimus et mihi unice carus D. Lingelshemius[192], a quo iam modo digredior e prandio D. Hyppoliti a Collibus[193] praesidis nostri, ubi et aderant vocati literatae illi nobilitatis a Plessen et Suerin. De Taurelli emblematibus gratum fuit auditu versari ea circa unguem. Facio vota Famae et Annae Perennae eorundem causa. Dedicationem, uti decet, tacitam habebo. Ei a me per occasionem pl. salutem. Elegantis sit oportet ingenii, qui et haec talia in professione tam horrida[194]. Quae tu ad *Plautum*, quaeso, per otium ut pares et ornes; nam ego *iam totus sum* in Seneca, qui exodium fere spectat. Si

aliquid superfuisset temporis, scripsissem Camerariis[195], uti D. Lingelshemio in reditu commendassent Msptos illos Plautinos, quibus uti cogito; sed temporis punctum ei rei non suffecit. Si itaque dabitur opportunitas, tu me iuva. Nam ego nondum exemplaria illa vidi. De meo Van der Hagen[196] iam nuper recipio litteras per Pistoris[196a], qui te aestimat et amat. Bonum factum, si iuvenem ad literarum studia subinde exhorteris abstrahasque a consortio eorum, quibus in ore et amore Plauti illa Perbibesia[197]. De Chytraeo Nathane[198] non errasti. Bremae enim agit rectorem, uti vel te haec docebit charta, quae inde missa mihi iam pridem. Baumgartneri[199] vicem doleo. Sed numquam sera esse solet ad bonos mores via. Utut est, amo eum communis praeceptoris causa et te etiam magis, quia et tu, ut innuis, sub eo[200]. Mihi Donellus erat non solum familiarissimus, sed necessarius paene et tantum non parens. Certe in Batavia tota nemo fuit, cui addictior, quod mihi hercle magnae reputo gloriae, etsi sint, qui eius famae nihilum tribuant. Genethliacon filii[201] nudius tertius mihi misit D. Melissus et fateor me item tale aliquid debere habeoque adeo affectum; sed iam aliarum sum rerum et alioqui pluribus distineor, quam ut iis commode pectus illud sufficiat. Ita undique ad me itur inquiruntque de huius illiusque loci veriori intellectu, immo adeo censuram exposcunt de scriptis aliorum, quibus ut non satisfaciendum sit, tamen utrumque respondendum est. Sed et iam instat Freherus ille noster, ut Epithalamium[202] ipsi adornem, quaeruntque ex me iudicium de Ψalmis Mauritii Landgravii[203] eius consiliarii[204], qui hinc Studgardiam ad apertionem testamenti Wirtembergici[205]. Iam habes, quae volui, immo quod potui. Ergo vale et salve cum lectissima coniuge, cum dulcissimo filiolo, cui meam vicem osculum.

Heidelbergae, die 12. Nov. MDVIIC.

Tuus totus I. Gruterus.

34. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 9. Febr. 1594.

S. P. Amice sincere! De Querolo serius transmisso nullum puto factum damnum, nisi quod hisce nundinis non videbit lucem. Commelinus enim Genevam secum ferre cupiebat et ibidem tradere typographo. Nunc id serius est; abiit enim ante septimanas sex. Sed hic culpa nulla tua. Neque debebat incertis committi exemplar. Quod spero impressurum ipsum intra semestre; si non, faxo remittatur. Notae tuae additae oppido bonae sunt et fiet in iis, quod vis. Videor ego tamen pauculis admodum exceptis totam illam comoediam transformare posse in versus[206]. Eminent certe et produnt se passim plures senarii vel iambici vel trochaici. Si otii tantum erit, aliquid monebo per appendicem[207]. De Plautis*) quod tu cogitas, nihil est; nondum habeo. Lingelshemius accurate egit, quod potuit; sed casu aberat optimus Ioach. Camerarius nec mandarat cuiquam e familiaribus, qui traderet. Sed et Wesembecius ille noster sine iis ad nos venit, quod mihi sane cordolio est. Absolvi enim Senecam meum et praeparavi me otio inerti ad recentem illam palaestram. De iis nunc scribo ad D. Philippum Camerarium[208], ut saltem transmittat ad proximas nundinas Francfurtenses. Si tunc nihil fit, alia necesse erit incipiam, quae nollem. Quaeso itaque, ne graveris iterato intercedere mea causa. D. Melisso, D. Frehero tradidi, quod inscripseras ipsis carmen, cum adessent mihi in prandio cum D. Wesembecio. Invitatus erat et Posthius, sed ille excusabat se sua sibi podagra; itaque hodie ipsi transmittam et excusabo de editione Epigrammatis, quamquam non puto opus. Ego etiam nuper aliquid muginabar in natalem filii tui, sed iam non invenio, non magis quam tu illa ad Elegiam[209] tuam. Quae si tempori non tua mittes, meis supplebo, quia ita vis, si non uti ab eodem videantur Apelle, at

*) *Cod. Plantis.*

quae tamen decere locum suum. Cum Domino Pflugio[210] faciam, quod cupis, grataque ipsi tua benevolentia erit. Appendix ad Iustinum[211] cuius sit futura formae ut certo nesciam, ita plane arbitror parem prioribus. Cognatum[212] meum sic contineri melioribus, libens inaudivi. Tua monita etiam multum poterunt, uti scilicet rarius combibones suos frequentet. Pithopoeum iam nunc monui schedula interprete; quid fecerit, res ostendet. Vides quam succincte et curte ego nunc omnia. Sed ita est; opinato citius abit amicus noster magnus D. Wesembecius; quocirca in arctum mea contraham necesse est. Quod ne aegre feras, plurimum te oro. Iam enim debebam pluribus tecum agere, si unquam alias. Sed fiet spero alias, cum ad vos ibitur a Pierio nostro. Interim vive et vale excusesque D. Scipioni[213], quod non scribam, quamquam quid eo tamen opus, cum nec ipse ad me. Solum igitur adspergatur plurima salute.

Heidelbergae, die IX. Febr. MDVIC.

Tuus omni fide et officio I. Gruterus.

35. I. Gruterus C. Rittershusio.

(Heidelbergae). 23. Mart. 1594.

Etsi non erat hic animus, qui ulli sufficeret scriptioni, haud tamen tantum a me impetrat vulnus, quod me enecat gravissime[214], quin tuis modo ad me missis una respondeam litera. Nempe usus sum libertate, quam mihi largitus es, et quaedam in Elegia[215] ego, quaedam Posthius noster polierunt; multa addidi de meo, quae tibi erunt ad gustum spero. Exemplar Senecae ut tibi transmittatur per Commelinum, cura mihi fuit; itaque id ita accipe tanquam quod festinatum ab eo, cui otium multum non fuit quique saepius visus sibi motae mentis; adeo me obtundebant mss. librorum farragines totque praeterea cusorum librorum collationes[216]. De Plautis nihil etiamnum intellexi. *Interim multum te* amo de hac sedulitate[217]. De Querolo

egi cum Commelino; sed is cuperet, si haberes, exemplar impressum Danielis[218]. Verum ipse forsan de hac re ad te. Etymologicum non videt lucem aut alia, quae advertenda Iustino. De sacris versibus gratum fuit. Reliqua exemplaria transmisi iuxta inscriptionem. D. Scipionem nuda item remuneror salute, quod vel hoc tempore satis: adeo ego non sum meus, orbatus heu ante dies XIII delicio meo et animae parte puriori, carissima inquam coniuge, quae ut enixa mihi erat filiolam, paucas post horas dein piam illam, castam, prudentem, ingeniosam animam Deo suo reddidit. Heu casum, heu fatum! tu amico condole amice et in partem una trahe amicos, quos isthic habeo apud vos. Vale cum tua, mi Rittershusi.

Dedi (Heidelbergae), 23. Martii 1594.

Tuus totus Gruterus.

36. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 4. Iulii 1594.

S. P. Nec ego meum nec tuum refricabo dolorem, mi Rittershusi, satisque est, si fractis auribus[218a] praeternavigemus non quidem Sirenas, sed Mortas. Interim tamen de synpathia tua plures habeo gratias et expectabo mox Elegiam, quae me alloquatur moerorum undis adeo submersum, ut ore aperto nigrum haurirem fluctum, nisi irrequietes*) Musarum labores veluti subere quodam altius me efferrent sublevarentque. Ergo quod ad Querolum attinet, iam is excusus est dudum, ut et alter liber[219], qui Querolum eundem expressit versibus elegiacis. De notis tuis et Danielis nihil egit Commelinus, quia etsi aliquoties tuum Danielisque addideris nomen, tamen multo maxima pars capitalibus illis caret litteris, arbitrorque ego esse tua; quod si ipse epistula tua nobis firmaveris, bene erit calcique omnia illa apponet cunctator ille noster redux e

*) *Cod. irreqes.*

Belgio, quo abiit ante dies XV. Praefatio Danielis aliaque carmina, quae nunc transmittis, priori quoque aderant libello[220]; haud tamen etiam excusa[221] puto: puto, inquam, quia folium nullum etiamnum vidi, quasi sc. data opera id me celaret Commelinus: absque eo esset exemplar, tibi curarem sic licet imperfectum. De Seneca doleo sane neque ratio est, ut habeas, nisi diserte alicui des in mandato proximis nundinis, uti a Commelino exigat. Cum enim liber grandior sit, iniustum fiat onus tabellario, neque ego exploratos habeo temporis articulos, ut eum tradat noto alicui isthic forte eunti. Et hoc tu facies scio, immo uti facias, omnino peto. Nam ea est negligentia Commelini, ut nihil curet nisi sua. De tuis ad Iul. Paulum[222] communicavit largiter mecum amiciss. Dns. Freherus. Ego hisce in aerumnis nihil potui nisi epigramma hoc, quod vides, expressum mihi ea hora, qua tuas accipiebam a Frehero. Est autem tale:

Sicut ubi exclusit pullum Iovis armiger, et iam
Illi pluma recens umbrat utrumque latus, etc.

Vides, quam frivola, sed pondus sit eis ideo, quod prima sint, quae lusi ab obitu carissimae meae, quae adeo alte pectus illud divisit, ut omni abstineam scriptione. Quare excusabis me cognato meo ab Hagen, quod non rescribam, vix id facturus Wesembecio, nisi iam binas viderem, quibus nihil reposui. Tu interim vale, mi Cl. Rittershusi, et salveat cupitus ille, non amator D. Gentilis.

Heidelbergae, die IV. Iulii eadem, qua tuas recipiebam, 1594.

Tuus totus Gruterus.

37. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 17. Sept. 1594.

Cum sine tuis ad me venerit vester ille Gentilis, *aequum sane erat,* ut et ipsus sine meis item ad te di-

mitteretur. Sed nec patitur istud aut amor in te meus aut eius flagitationes. Adeo totum diem praeteritum postulavit quasi pipulo, uti se onerarem litteris, quod ut aequum forte videri queat, at hoc iniquissimum, quod adeo derepente se ex oculis eripit, visus tantum, non pervisus. Debuissemus enim diutius tanta eius bonitate atque doctrina non uti solum, sed etiam frui. Nunc quid? Adeo subito avolat quasi aquilinis pennis, ut vix hoc licuerit summo praecipitare mane, quo scires dudum respondisse me epistolae tuae et transmisisse Francfurti (*sic*). Nunc autem vive, vale, mi Rittershusi, cui licet amicissimus vestrum tamen invideo Scipionem, adeo Musae omnes et Gratiae pectori eius insident et ori.

Heidelb., die 17. Sept. MDVIC.

Animadversiones[223] nunc demum tibi exhibebit Scipio[224], modo ne eas a Commelino petere negligens.

38. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 17. April. (1595)[225].

At tanti non erat Plautus, immo nec ipse deus Comus, ut ideo carere debuerim optatissimis tuis litteris. Et subirascor sane Posthio, si ipse ille causa fuit tui silentii, quamquam tamen tu ⟨non⟩ in minore noxa. Etsi enim fuissem perdiu et pernox in comico illo, at tamen tantum certe subsecivi clepere potuissem temporis, quod tuis litteris respondendis impertirem. Nunc quidem nullas a te recepi nisi quas Gentilis noster praesens praesenti exhibuit, immo nihil interea de te per famam intellexi, nisi quod cognatus Van der Hagen*) diceret te recte valere, cum nuper huc adventaret. At ego ut in Plauto assiduus fuerim, verum sane non est, immo aliis curis et molestiis sic obruor, ut libros vix tangam. Et nae Themis fatidica regebat dexteram tuam, mi Rittershusi, cum scriberes,

---

*) *Cod. Verhagen*, sed idem significatur ac p. 41, 43, 47.

significarem tibi an mutassem viduae tristia signa domus. Tu quidem postea illud mutare deleveras, superscripto eius loco sustollere; sed nimium verum fuit prius: mutavi enim signa successitque in locum primi luctus alter nihilo ingravior, nisi quod funus abesset. Verum de his alias forte. Nunc venio ad tuas, quibus gratum fuit recognosse iam tandem Oppianum rediisse ad herum suum[226]. Et quaeso te fac sciam, an editurus eum sis versione cum latina, et si versione, an verbali an metrica. Optimus sane est auctor scripsitque in eum praeter alios etiam ipse Bodinus[227]. Epigramma[228] in eum quod cupis, fiet facile, modo indicaveris, an editurus sis graece tantum an etiam latine et an e versione tua. Forsan de eodem ad me aliis litteris scripsisti, sed si, ego eas non recepi. Eae enim nuperae primae sunt ab illis, quas attulit Scipio noster. De typographo non temere es anxius. Noster, uti ipse subiicis, Doson est[229]. Wecheliani inflati et qui potius accipiant quam dent. Raphelengio[230] desunt facultates nec susceperit librum sine certissima lucri spe. Itaque restat alium quemvis eligas, et vero qui viduam duxit Io. Wechelii, dicitur vir diligens et bene peritus linguae Graecae. Itaque quid, si ad eum ires? Si sic placet, ego etiam ei scribam; ut ut erit, noster nimis tricatur. Vix impetravi, ut his nundinis prodiret Querolus, cuius exemplaria pluria eum tibi tramisisse arbitror, si modo fuit quis tuo nomine Francofurti qui reciperet. Videbis quaedam ad calcem mea[231], quae accipies non redhostimentum, sed debiti agnitionem, quod solvam si vivo, ita vivam. Nam nunc sane totus iaceo torpidus, immo semimortuus et futurus funus brevi, nisi me melior respexerit Deus. Vix supersum lectionibus meis, nedum ut alia moliar. De Tisio (?) nostro libens audivi herique nuntiabatur mihi Basileae promotum iri iam modo in Doctorem iuris. Tu si quid notaveris in animadversionibus meis ad Senecam (ideo enim transmisi), ne grave sit communicare. Ea enim, quae in Suspicionibus sunt ad illum auctiorem facientia, iam mox perpoliemus, si dabitur respirare ab

isto cordivoro moerore. Vale tu et salve, vir et amice clarissime, meque ama tui summopere amantem.

Heidelbergae, meo more raptim, die XVII. Apr., quo die tuas mihi tradidit Wesembecius filius[232], (a. 1595).

39. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 7. Dec. 1595.

S. P. Mi Rittershusi! Iam septimanae aliquot abiere, quod indicarim tibi per literas, integrum adhuc tibi esse interserere suis locis Notas Casauboni; tuas enim in eum auctorem nondum excusas, sed propediem excudendas[233]. Nunc cum non respondeas ad huiusmodi literas, iterum tibi significo futurum, ut typographus intra octo decem dies auspicetur tuas notas neque amplius expectet eas Casauboni. Si miseris, appendicis loco subnecti poterunt. Valde miror te hic tam negligentem, qui alioquin nosti et nuper expertus sis, quam typographi difficiles sint, ubi interrumpitur cursus eorum aut coguntur quid servare ad diem certum. Plane vereor, ne haec nostra tergiversatio tibi noceat ac ne his quidem futuris nundinis integer prodeat Isidorus. Bonutius[234] haec non curat, nisi quatenus lucrum eius interrumpit, qui iam alioquin agit Neostadii et fidei meae rem omnem commisit; cui pollicitus sum nullam futuram in te moram. Quo ipso falsus fui. At recepisse te literas meas, quibus id tibi significabam, inde scio, quod literas alias eis inclusas curaveris ad Dn. Welserum[235], a quo iam ante duas septimanas habui responsum. Quaeso itaque da operam, ut proximo tabellario obveniat, quicquid vis adiici Isidori notis. Quod ipsum tamen pluribus non exambio, ne videar magis sollicitus circa rem tuam quam par est. Vale itaque et salve. Scis puto qualibet hebdomada commeare hinc tabellarium Ambergam et contra; ei committi potest. Has accipies a Dni. Freheri[236] fratre, qui heic libenter curam suam obtulit.

Heidelbergae, die VII. Decemb. MDVC.

Ianus Gruterus semper tuus.

40. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 17. Febr. 1596[237].

S. P. Tuas, quibus adscriptus XXIV. Decemb., heri demum obtulit amicissimus utriusque nostrum D. Freherus deditque et ad se tuas legendas, quibus sic strictim respondebo. Intermissionem literarum in nullo duco damno. Fides namque amicitiae pectoris religione censetur; eam cum apud te vigere arbitrer, securissimus sum. Itaque vel nunc gratias ago, quod me istis demum honoraveris. At versus tui praeconium meum iure suo merebuntur, et nae tu studio iniquus es in tuam prolem. Ego adhuc valetudine utor, qua dudum, fracta nempe et molesta, videturque morbus non recessurus ante Maium. Unde fit, ut nec Musis nec Musicis facile vacem, nedum Plautinae me dem comparationi. Si igitur occasio est, quaeso te excusa me Camerariis, quod tam diu Codd. ipsorum mecum[238]. Custodientur tamen pudice et fideliter, soleoque meis visentibus ostendere ceu thesaurum. De Animadversionibus meis mirum audio. Certe mandaram Commelino, uti exemplar eius Scipioni Gentili nostro committeret[239], et id factum prae se tulit. Restat igitur, ut proximis nundinis aliquem habeas, qui ab eo tuo nomine exigat; ipse enim alioqui obliviosus tum prae negotiorum multitudine vix sui meminit. Epistolam, in qua scripseras*) de Querolo, non recepi. Gratulor ergo nunc mihi, quod tibi non displicuerit mea parrhesia. Colero certe factum cuperem ob Melissum, qui eum mihi serio commendavit. Sed quid ille sterilibus istis se occupat? Arriperet fertiliora illa, quae DE PANE LUCRANDO. Iena tamen forte dabit, quod optat. Nam ibidem versibus suum est pretium, ob Reusnerum[240], qui talibus oppido capitur. Oppianum gratulor incidisse in felices manus Raphelengii[241] et iam nunc eum absens inhio, immo devoro. At carmen, quod ei debebam, iure merito imputabo Gunthero[242], poetae sui temporis

*) *Cod. scripseram.*

principi. Et tu recte, qui et illud aevum velut e tenebris ad lucem protrahis. Epigramma proxime expectabis, sive erit elegia[243]. Casp. Schoppii avide videbo, ubi prodierint[244]. Ipsum tamen vix de nomine novi. Novit tamen Freberus noster, qui in demortui Pacii[245] locum substituetur brevi professor Codicis. Vellem hercle et mihi transmisisses Capitum Verisimilium illorum indicem[246]. Possem enim facile ex ungue leonem. Si tamen integrum est, mone eum, ne quid citet, si forte quid citabit, e libellis meis Suspicionum. Tam multa enim in iis delevi, mutavi, supplevi, ut priorem editionem iam nunc proiiciam, exponam habeamque pro derelicto, prodibuntque mox eiusdem nominis libelli XXX[247], quos nunc refingo ad unguem. Scipio piam operam navat Donellicis illis[248] nec poterit id non esse gratissimum elegantissimi viri manibus. Iis ego quidem, uti pridem scripseram tibi[249], multa versuum parentavi farragine, sed cum iam nuper migrarim, non licuit incidere in ipsos; nunc tantum incurrebam in Epigrammata aliquot, quae si tibi ad gustum, operae erit pretium postea etiam mittere cetera. Ergo ea sic se habent scripta mihi ante annos XIII, XIV plus minus[250] ... Sed praestat finiam, ne non gustum tibi dare videar, sed coenam integram. Vale itaque et salve, amicissime Rittershusi, cum tua lectissima coniuge et dulcibus liberis in hunc et plures annos. Quod votum impartio item viris amicissimis Domino Wesembecio, Domino Gentili, item binis germanis Camerariis.

Heidelbergae, die 17. Febr. 1596*).

41. I. Gruterus C. Rittershusio.

(Heidelbergae). 19. Mart. 1596.

Revertente ad vos Wesembecio filio[251], nec volui nec potui tria saltem verba et tibi, amicissime Rittershusi, quibus saltem indicarem respondisse me iampridem literis

*) *Cod. 1697.*

tuis, curante meas, quibus addideram Epigrammata aliquot in Donellum[252], quae prae manu, D. Frehero, qui iam hic Pacji illius nepacifici[253] supplet vicem; et necdum tamen quid cogitasse de Carmine Encomiastico, quod praefigatur illi tuo Gunthero: adeo morbo isto nostro octimestri plane obbrutuit animus neque audet Musarum valles eminus aspicere, nedum ut comminus capiatur montes ingredi. Faxo tamen, ut tibi constet de fide et pollicito meo, ubi se paululum remiserit meum malum. In effigiem Donelli breve extudit mihi epigramma suada Freherea. Cetera muti sumus, adeo quidem, ut neque suas sibi a me retulerint aut Pithopoeus aut Sylburgius inferias[254]; quin immo desuesco quotidie sermonem latinum. Et nisi me Douzae filii[255] sermocinatio frequenter quasi cibaret, iam transfuga factus eram Palladiae militiae. Suspiciones tantum nostras leviter recensemus nec recensemus. Adeo torpor nos quidam habet et veternus paene lethaeus. Verum

o passi graviora, dabit deus hic quoque finem[256],

in quo voto finio, cum prece, tu etiam pro valetudine mea intercedas apud Deum Opt. Max., quem tibi tuaeque familiae voveo faventem. Scribebam raptim et aliarum rerum utque migrationi non incumbens, sed insistens.

(Heidelbergae), die 19. Martii 1596.

Saluto plurimum candidum illud et eruditum caput Gentilis.

42. I. Gruterus C. Rittershusio sal. pl.

Heidelbergae. 10. Sept. (1596)[257].

Tuas datas Kal. Augusti fine eius demum recepi, tum quod tardius plane curatae fuissent, tum etiam quod ego octiduum totum abfueram in peregrinatiuncula cum socero meo . . *) Itaque quamvis libentissime petitioni

---

*) *Lacuna in cod.*; fortasse patris secundae Gruteri *coniugis nomen excidit.*

tuae, ut etiam Scoppianae satisfecissem, tamen cum postulares epigramma qualecunque meum praecipiti mense, non id potui, cum iam dies instaret extremus. Si tamen affectus vicem obtinet effectus, extra noxiam sum. Etsi alioqui non video, quid ibi meum fecisset nomen, ubi Gentilis, ubi tu aliique me meliores et clypeorum vestrorum firmitudine adversariorum spicula facile infringeretis, immo adeo ipsorum nudo nitore oculos iisdem illis oppugnatoribus praestringeretis et tantum non redderetis similes Democrito illi Abderitano. At tu bene, quod aurem mihi vellis de Gunthero; nam peream, nisi eum ex animo seposuissem. Sed tamen iam demum aliquid tentabo, praecipue cum me transfugam a poetica ingesta quoque manu retraxerit Melissus et iniunxerit, ut nescio quid Epithalamii muginer in nuptias lepidissimi sodalis D. Lingelshemii. Et tali imperatori ⟨non⟩ parere nefas. Eodem ergo spiritu et tibi quid aut perficiam aut inchoabo. De literis meis amissis nihil damni factum, dummodo constet tibi de argumento. At tuas ego nullus vidi, unde nec eis quicquam respondere possum. Profectiunculam Pragensem ex voto successisse gratulor. Et ego itineris omnem fructum pono in amicitia acquisita bonorum doctorumque. Alia omnia ne oculo quidem unquam dignatus sum. De meis studiis quod quaeris, Suspiciones absolvimus et pendebunt iam deinceps a voluntate Commelini. Si excudere amat, statim prodibunt; sin tergiversatur, lenta crux ipsis etiam praesto. Nam ut alii tradam, non patitur institutum meum. Eas non descripsi, quia quotidie alia atque alia in mentem veniunt, quibus ornentur aut emendentur. At si Commelinus aggrederetur editionem, facile esset quotidie tantum describere, quod esset satis typographis. Iam nunc sum in Suetonio, quem Politicis insignio[258], forsan paulo melioribus quam Italus ille Schottus Tacitum[259]. Pflugium isthic apud vos laetor et plurimam ipsi a me salutem, ...m querela de non transmissis suis in Plautum[260] ex ...), *immo stipulatu*. Amicos ceteros, D. Wesembecium, ...*ntilem item*, Camerarium utrumque officiose item

salvere iubeo, quorum Plautus adhuc apud me deses, nec excuso, cum me nuper excusarim et placuerim in eo filio Camerario, qui nunc Spirae. Sed iam cesso, adeo lassus scribendis, adeo turgidus cogitandis, ut nec manus nec caput apud se sint. Quare excusa barbariem, solennem etiam ad te, at nunc plane extra ordinem barbaram.

Heidelb., die 10. Septembris (1596).

43. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 28. Sept. 1596.

S. P. Adolphum tuum Boetium[261] libenter vidi omniaque ei et officia mea et studia large detuli nec quicquam erit mihi gratius, quam si eam, qua tecum usus est, familiaritatem mecum constituerit. Interim tamen ex quo tuas mihi detulit, nullus eum vidi. Exemplum Verisimilium lepide me affecit et sunt multa in eo, ob quae omnes Schoppio multum debeamus, praesertim quod loca multa Symmachi mutila et manca resarcit et integrat Aesculapii non fallacis ope, MStorum scilicet. Sed et ego peculiariter in eius aere ob unius libri inscriptionem[262], qua me si non aeternavit, immortalem tamen reddere voluit. At eo ipso tam me fateor vadatum gratia, ceu sperata iam modo perfecisset. Voto enim, ut ali<cu>bi loquitur praefectus ille urbis[263], faventis, non exitu rei obligamur. Itaque si quando ad eum scribendi occasio, velim ipsi plurimas a me memores gratias animumque benevolum et quicquid praeterea ab hac mea tenuitate proficisci potest. Literis peculiaribus ad eum nunc issem, nisi festinasset lator harum, cui nomen Elias Thalwenzelius[264], iuvenis eiusdem notae, qua commendabas mihi Boetium tuum. Bonum itaque factum, uti ipsum in eius adeo locum substituas. Non fallet aut fidem meam aut tuam exspectationem. Sed et eundem ut commendes reliquis isthic professoribus et imprimis Dno. Wesembecio et Gentili, admodum te rogo. Carmen meum in *Guntherum certo* habebis brevi, etsi aliis multis districtus

nec sat limis quidem ad Musarum montes respiciendi facultas. Pudet enim tam diu debere rem omni iure dissolvendam, utique cum scripserit olim imperator quis, apud verecundam conscientiam mendacii genus esse promissa tardare[265]. Verum cum hic in mora nullum sit periculum aequitatis tuae, voluntati suaviter acquiesco. Si hic pestis latius et lentius grassare coeperit[266], forte erit, ut ad vos brevi excurram et non iam imagine sermonis utar, sed veris fruar capitibus. Interim vivite et valete, amici optimi.

Heidelbergae, die 28. Sept. 1596.

Tuus omni fide Ianus Gruterus de Gruytere.

44. I. Gruterus C. Rittershusio sal. pl.

Heidelbergae. 4. Ian. 1597.

Bene occupatam Thalwenzelii[267] mei commendationem et mihi et tibi gaudeo. Nos Boetio[268] quodvis officii genus libenter impertiissemus, nisi a prima salute nunquam me revidisset. Spiram concessisse iam pridem ex tuis intelligo. Hic nobis etiamnum statio est, certis Deum lumen illud magnum aeque hoc loco in nos directurum quam alibi. Quum tamen video ataxiam populi et quam non vitent lue ista infectos, sed immisceant se porro sanis, dolet, quod hinc non abierim cum aliis. Cogimur enim aut perpetuo desidere domi soli aut prodeuntes muniri pharmacis, quae vi sua corpori tandem noceant, quod iam sane meo accidit. Casum gravissimum quod mecum doles familiae nostrae, agnosco in eo amorem tuum mei. At eo sane ita ego fractus sum, ut nihil meminerim accidisse huic pectori gravius, nec sine causa. Praeterquam enim quod praesidio fruor insigni, reciderunt in humeros meos multa insolentia: curatela affinis, administratio bonorum aliaque, quae catenatim talia consequi solent. Literas tuas opportuno tempore nactus sum. Quo enim die abituribat Genevam Commelinus noster, eidem tradidi. A quo habes *ista, quae vides*. Nonnulla ex eis legi. Quid dicam?

Conspirasse me in plurimis tecum, uti videre poteris brevi ex nova Symmachi editione Lectii[269], cui coniecturas meas ante annum transmiseram. Ad Artemidorum quod attinet, si quid habes, quod meliorem faciat versionem Cornarii[270], habet ipse Commelinus ⟨in animo⟩ eam cum Graeco recudere brevi. Casaubonus mihi ante semestre scripserat rogatum se a quodam viro magno, editionis eius haberet curam; sed reiecerat illum ad me, quod ante biennium ei scripsissem paratos habere me commentarios fere in illum auctorem[271]. At enim, ut noris, Graecum textum nondum vidi. Commentarius autem meus spectat mores tantum et historica, quibus dives est somniorum ille interpres. Itaque puto emendationem textus Graeci a Casaubono curatum iri. Tu si quoque quid potes, candidus imparti. Ita iussit scriberem Commelinus. Scoppi nostri schedam libenter legi et hortor, ut pergat. Ego nihil habeo praeter vota, quibus eum adiutem. Literas Camerario missas nullus vidi; ideo neque ad capita illarum est, quod respondeam. Eidem tamen nunc nescio, quid scriberem, nisi in isto gravissimo luctu animus aliarum esset rerum (*sic*). Vos interim bene valete; salve atque tuis potissimum verbis vir Cl. Dn. Wesembecius, D. Gentilis et si quis isthic praeterea mei memor.

Heidelbergae, die 4. Ianuar. 1597., quem vobis omnibus faustum vitalemque opto et spero. Haec raptim ita ut ne relegerim quid; quod fere mihi solens.

45. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 27. Febr. 1598.

S. P. Literas tuas, quibus additus dies XXIII. Nov., ante triduum nactus sum; itaque excusabor scio, si eis serius respondeo et de Suspectis Schoppii[272] uberes ago tibi eique gratias. His locis nusquam licuit reperire, quod ergo unum licuerat, Frehero nostro vine an precario abstuli. Opera eius non contemnenda, eo etiam magis, quia *ego iam non dies duco*, sed annos[273], quod tamen magis

fiet morte Commelini. Saepe tamen Scoppius invitis MSS. eos[274] citat ad testimonium, quod accidit, sive quod typographus hic negligens sequi autographum auctoris, sive quod ipse minus assecutus lituras tui codicis. Verum de his alias. Interim eiusdem peregrinationi[275] fausta omnia precor. Quodque hortaris eos retundam, qui latiore interpretatione illud 'doctores infrunitos' vellicant, non opus sane est; neque enim dignos arbitror, quibus vel unicum ostendam genuinum*). Homines ambitiosi crescere cuperent ex his ipsis, et Ladislaum[276] acriter nuper audio reprehensum, quod iuventutem suam doceret loqui cum matre Euandri. Ei a me data occasione pl. salutem. Nondum plane dememinerit spero colloquiorum, quae habuimus ante quinquennium Seuselitii[277] utque deinde interpellantibus litteris D. Hartmanni Pistoris ipsum de meliore nota commendaverim consiliariis Illustrissimi nostri intimis. Cuperem sane elicere eius ad me literas, quem magni aestimo et ne sex quidem H. Stephanis permutatum velim, quorum tamen unus ille breviculus nuper fuit[278]. Quod ad pagellas Oppiani, libro subtexam, ubi nactus; nec enim hic exemplaria. Unum erat, quod abstulit mihi volenti nolenti Freherus. Aeque tamen tibi debeo, ut si tuo nomine missum recepissem. Voluntate enim, ut ille, obligamur, non re[279]. Colero gratulor honestum locum[280]. Et quid factum eius Salustio, quem praefert Catalogus nundinarum[281], sed nemo tamen hominum vidit! De Lipsianis tu verus coniector nec opus probatione, adeo se in oculis, in animis, in auribus ultro oggerit et tuetur locum suum. Si tibi otium est, quaeso, ut a tuis et a Gentilis Musis (quas hoc ipso mille salutibus honestiores esse cupio) tantum impetres, ut epigramma mihi donent in libellum meum mox edendum, cui nomen Aranea[282], contentum vero bestiolam illam exemplar esse principis absolutissimum idque si imitarentur, vere essent pastores populorum. Sed iam interpellor. Vale itaque et salve cum tuis, imprimis

*) *Cod. genuinius.*

ille etiam ut dixi Scipio nec non Colerus et si quis praeterea istic mei memor aut amans.

Heidelbergae, die 27. Febr. 1598.

46. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 23. Nov. 1598.

Etsi vices erant meae expectare responsum tuum ad meas nuperas, haud tamen possum, quin utar occasione oblata a Dn. Frehero, qui redit ad vos. Et quidem cum cognorim ex litteris Taubmanni[283] habere vos frequenter commoditates scribendi ad ipsum, peto primum, hasce meas ei mittas prima occasione. Praeterquam enim quod libenter videat meis inclusas Scaligeri ad se, cupiam etiam scire, an receperit Plautum illum meum, quem cum MSS. Camerarianis contuleram, schedas etiam et alia, in quae conieceram, quicquid obiter e MSS. hauseram Palatinis, e Suspicionibus meis excerpseram[284]. Nam licet iam plane abiecerim editionem Plauti, nolim tamen labores illos meos perire. Nunc totus sum in apparando opere Inscriptionum Romanarum[285]. Ei includentur non Smetiana et Lipsiana tantum[286], sed alterum tantum eius, quod Scaliger mihi cessit petiitque mirum in modum titulis Smetianis interspargerem. Ne autem actuarius viderer merus[287], decretum est excutere omne genus librorum, e quo aliquid eruere est Inscriptionum et auctarium addere nihilo levius Smetiano. Haec agentem si vos aut ope vestra aut consilio iuvare possitis, quaeso subvenite amico; sin minus, subiicite nomina eorum, qui hic mihi symbolum conferre possint. Nam in Germania praeter Dn. Velserum novi neminem. Quod si quoque qui editi sunt libri, in quibus praeter opinionem inveniendae eiusmodi inscriptiones, id quoque indicate. Araneam[288] meam iam dedissem, sed nihil his Inscriptionibus praevertere debeo, quas praelo subiiciam statim primo vere. Dn. Wesembecium a vobis abiisse nuper invitus audivi[289]. Columnam sane amisistis *vestrae scholae. Sed* et obitus Camerarii[290] ipsi illi luctuosus.

Saluto his perofficiose Dn. Gentilem, Dn. Colerum, Dn. Virdungum[291]. Quod si occasio simile quid perferendi ad Wesembecium, fiet sane me libente.

Heidelbergae, die 23. Nov. 1598.

47. I. Gruterus C. Rittershusio.

(Heidelbergae). 16. Dec. 1599.

S. P. Iam binas tuas memini recipere litteras, amice summe, quibus nihil dum respondi, fiducia scilicet illa, quam scio tibi esse de affectu meo, cui etiam accedit, quod mihi rarior se offerat tabellarius, qui ad vos, refugiamque alioqui ideo amicis exhibere molestiam. Ut tamen modo sum cum Dn. Praeside[292] apud D. Lingelshemium et is mihi dat legendas unas litteras D. Gentilis, in quibus salutabat, alteraeque eius interim adveniunt, quae respondebant Lingelshemii illis laureatis, arbitrabar me commode posse meas adiungere Lingelshemianis. Quare scito laetari me vehementer ob valetudinem tuam atque optare, uti sit firma longum. Ego quidem valeo, sed duos menses integre male habui a dolore stomachi. Iam sum in notis quibusdam concinnandis quasi politicis ad Onosandri Imperatorem[293]. Post mensem aggrediemur magnum illud et vastum opus Inscriptionum, ut sic nunquam otiemur atque viduitatis mala[294] aliis malis retundamus. Interim haereo admodum, quid facere debeam, an alium alibi larem persequi an hic porro subsistere. Si spes esset in Belgio pacis stabilis, his locis ocius valedicerem, non quia eis imputem iteratum istud meum infortunium, sed quia suavius videtur aegroto semper in patria mori. Idque nunc faciam sane proclivius, quod Gothofredus ille[295] hic expectatur vocatus stipendio plane luculento. Quem licet non metuam ulla in re nec etiam diffidam de amicitiae constantia meorum, qui in aula et circa eam, tamen nescio, quomodo vereri libet parituram eius praesentiam nescio *quid frigusculi*, cum idem velle idem nolle demum firma *sit amicitia* hocque isto casu vix fieri queat. Verum

eventus docebit. Tu quid agas quid non, fac sciam. A Welsero nuper habui epistolam Schoppii, quam in te scriptam facile suspicer[296], factum scaeve, litteris subitanee scriptis et prout quidque in buccam venit, rescribere publice. Si sapis, vindicabis te solo silentio hocque hominem pessime habebis, cuius crescendi materia peribit, si dissimulaveris. Dn. Gentili scriberem et gratularer cum omnibus doctis et bonis victoriam debitam, nisi potius augurarer fore, eum brevi hic habeam amplectarque praesens praesentem. Interim tamen multam ei a me salutem, mi Rittershusi. Tu quoque vale et me ama Gruterum, qui haec praecipitabam

(Heidelbergae), die 16. Xbr. 1599.

48. I. Gruterus C. Rittershusio.

(Heidelbergae). 22. Dec. 1599.

S. Ante dies quinque memini me tibi scribere, amice carissime; sed dum admodum festino neque essent ad manum literae tuae, factum est, uti oblitus fuerim, quod maxime volebam, agere scilicet multo maximas tibi gratias ob transmissionem Analectorum Pontani illius[297], cui meo nomine uti etiam uberes agas gratias, plurimum te quaeso. Iudicium ferre de scripto illo necdum possum utpote non lecto ob alia studia, quibus immergor. Totus enim sum in inscriptionibus illis antiquis, sique aliquantulum interiungo, habet me Onosandri Imperator, in quem molior notas politicas. Putabam futurum uti eum vulgarem panegyri proxima. Sed cum hic iterum essent sculpendae figurae tres quatuor, Commeliniani sumptus videntur refugere ac iussere expectare, dum Rigaltianas figuras[298] levi aere Parisiis evocarent. Sic pendet fama nostra ab avaritia typographorum. Gloriolam quippe aucupabar aliquam a brevitate temporis, quo eas notas concinnaram, cum Graeculus ille primum prodierit intra annum vertentem. Tu si *qua in re aut hac* aut illa nos iuvare aut ornare potes,

mi Rittershusi, fac quaeso. In aula Ducis Wirtenbergensis Stutgardi dicuntur esse aliquot inscriptiones. Eas si tua opera intercessoria obtinerem, fieret et publico bono et tuo honori. Tu videris; nam ego neminem reperio, qui ex aula illa aliquid mihi impetret omnibus ignotus, nisi quod memini ibidem aliquando fuisse patruum Simonis nostri Ulrici Pistoris[299]. Vale mi Domine ac salveat meo nomine noster Gentilis.

(Heidelbergae), die 22. Xbr. 1599.

In antecessum opto vobis annum sequentem faustum et felicem.

49. I. Gruterus C. Rittershusio.

Francfurti. 21. Sept. 1600.

Salve plurimum, vir praestantissime. Rarius ad te scribo, sed non ideo minus amo, velut illi, quos pudor praepedit loqui. Accidit autem id fere, quod ignorem, ubinam et quando convenire possim tabellarios. Nunc scribo secutus occasionem et ut tibi transmitterem has Scaligerianas meis inclusas. Quid nunc agas, quibus studia tua excolas, quaeso fac aliquando sciam. De me res est misera. Vivo adhuc viduus incumbitque his humeris cura rei familiaris duorumque liberum, quae eo gravior quod nullum habeam in domo nisi extraneum.

O passi tamen graviora!

Atque utinam etiamnum non paterer! Nescio, an aliquando et tibi et Dno. Gentili scripserim esse aliquem Antverpiae, qui colligat Epicedia in obitum Ortelii[300]. Petiit is a me ut Germaniae excitarem oscines; iam enim habere carmina Lipsii, Douzae, Scaligeri, Lernutii aliorumque, qui apud nos. Feci in partem. Vos autem expertes habere fuerit truncare chorum Musarum. Peto itaque per sanctitatem amicitiae nostrae manesque adeo Ortelianos, tu Dne Gentilis, tu Dne Rittershusi aliquid eius viri memoriae *ludere dignemini.* Sic quod vos amplius lugeatis, nihil

eveniat his multis annis proximis! Quod de Gotofredo monebas postremis literis, ne cederem*), faciam hercle, immo cum alioquin decrevissem abire, ideo non abibo, ne putet fugasse me quemadmodum leonem Aesopicum asinus. Convenit tamen omnibus modis inter nos[301]. Nec certe aliquid amplius in ipsum possem, licet vellem, et ut vellem, non liceret profecto per eius auctoritatem, qua apud nostros valet, ipse scilicet professorum longe maximus, ego vero minimus, certe loco ultimus. Verum quid haec ad epistolam. Vale potius et vive, mi Rittershusi, cum tuis memor mei, sive ero, quod cupio, sive ero, quod mereor.

Francfurti[302] raptim, die 21. Sept. 1600.

50. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 16. Ian. 1601.

S. P., Vir Clarissime, et cape votum huius anni pluriumque sequentium felix faustumque, quod approbet eventus. Binas tuas nullo fere intervallo recepi, etiam tertias ante aliquot menses. Omnibus debeo responsum. Sed nihil tamen referes praeter isthaec paucula ab occupato non rebus seriis, sed nugis plurimis, quibus gaudeo et plaudeo in hac viduitate vale factis serioribus. Et Scaligeri literas recte recepisse laetor[303]. Laetor etiam ob transmissa illa in Ortelium[304], quae iam nunc sunt, spero, Antverpiae. Ob ea ego tibi et symbolis tuis multo maximam ago habeoque gratiam vel Ortelii nomine. Inscriptiones nostrae vix decima parte sui natae sunt. Erunt enim opus ingens et florenorum quasi XV. Onosandrina nostra adhuc penes me[305]. Cum enim typographus illa ante annum non excuderit, pudet nunc demum emittere talia. Itaque inibi sum, ut augeam et dissertatiunculas quasi instituam, discursus vocant Itali Gallique. In eis nunc nugor ludoque. Quidni enim id ita interpretentur politici ac

---

*) *Cod. crederem.*

stratiotici, quod homo de schola et infra Phormionem muginator obscurus audeam falcem meam immittere ipsorum messi? Sed vel sic pergam speroque me peregrinatione XVI tam multa perspexisse accedente lectione utriusque linguae auctorum, quantum ipsi in aula aliqua, ubi equi et scyphi bonam partem temporis abstulere, statimque lecto vel Bodino[306] vel Patritio[307] vel Botero[308] aut Ammirato[309] admirandi sibi videntur et ultra Annibalem exercitati. Haud tamen ita desipimus, ut ipsis hanc operam venditemus: non; sed pubi nobiliori viam ostendo, quam teneat in legendis auctoribus[310], non tam auctore me tamen quam Augusto, si non mentitur Suetonius in vita eius cap. 89[311]. Scoppius nihil agit praeterquam ⟨quod⟩ debet. Quei enim fidem faciat suis vere defecisse, nisi insectetur optimum quemque? Iam annus est quod ad me nihil scripserit; nec incito sane. Inscriptionibus nostris petii epigramma nuper a te atque Dno. Gentili, nunc iterum peto; nec negabitis puto, cum ultro hic ad me ierint Melissus, Beza, Lectius, Iacomotius, quorum primus aurea statua dignum putabat colossea, secundus supra Orpheum extollebat, tanquam per quem lapides iam didicissent loqui[312]. Vides quam putidulus. Sed non sum. Arbitror tamen, si quis gloriolam aliquam sperare audet honeste, qui sumptu, labore molestiaque summa in unum collegit Romani orbis monumenta singula atque universa, me non iniuria id expectare posse, qui ex mille auctoribus, ex centum bibliothecis, ex totidem aulis ac ceimeliarchiis nihil non erui mendicumque egi velut Ulysses propter Rempublicam impudentissimum. Smetianis quidem adiecerat aliquot millena Scaliger; sed ego plura millia addidi quam ipse centena finxique corpus omnibus membris perfectum, quod nemo hominum unquam molietur post me. Ecquis enim gratuito operam et oleum toto quadriennio integro perdat? immo ignominiam ac dicteria suo capiti assuat? Et istud sane expecto a nostri aevi doctissimis, quibus nihil erudi*tum est, nihil* expetendum, quod non etiam sit de pane *lucrando. Verum* lucrentur illi panem et carnem una, dum-

modo ne mihi invideant, qui opere absoluto sumam superbiam quaesitam merito et exclamabo exegisse opus aere perennius. Habui illic apud vos amicum non vulgarem, qui tragoedias aliquot edidit; nomen iam hoc momento non occurrit[313]; scriptum est tamen Amoris telo in corde meo; si adhuc isthic, quaeso is etiam istis meis epigrammatis imputet epigramma. Idem, si auderem, peterem a vestro Piccarto[314], cuius Carmen in Ortelium, - licet loco ultimum[315], habebam animo meo inter primora. Vester Colerus hic nobiscum agit[316], quod gaudeo; est enim factus ad meum gustum, non arrogantulus, non fastidiosus, ut alii fere vestrorum locorum homines rariores; tantum doleo eum rarius me invisere meque ipsum, etsi id mihi causae, quod importune accedere possim, cum agat non sui iuris cum nobili Polono[317], alioqui perpetuo ipsi adessem. Vellem ulterius tecum garrire, sed iam charta deficit, et vereor, ne occupatus tot privatis tot publicis nausees ad hanc desultoriam scriptionem, ubi nec pes apparet nec caput, certe non cor. Heus, mi Rittershusi, quia copia est nuntii, quei fit, ut nemo vertat in sermonem latinum oratores illos Graecos iunctim excusos[318]? Fama sane ei inde immortalis. Photii Hoescheliana Schottus noster transfert[319]. Tuus Artemidorus[320] ubi moratur? Si talia mihi Alcyonia, qualia vobis, ubi nimirum aut amori estis aut honori, quid non conarer, quid non sperarem et perpetrarem etiam. Hic vicino illo de Gothorum prosapia[321], nihil possum, nihil audeo, ne videar lites captare, et alioqui sic viduus quique fere bis quotannis et migret (Parthorum regum instar an mendicorum) de domo in domum, nondum ordinavi bibliothecam meam, nondum absolvi ea, quae inchoata ante annos VIII. Sic igitur abiit mihi vita videorque iure neglecto priore meo scito[322] 'Avec le temps et ma peine' assumpsisse alterum 'Trabajar y morir'. Adeo finis et fructus laborum omnium nihil erit nisi nigra mors, quam tantum abest deprecer, ut optem saepe hoc saeculo personato et ubi ubique aliud in ore aliud in pectore. Cum te, cum *Gentilem cogito*, de quibus multi frequenter multa

sirenunt*), alis vix est ut non volem ad vos ibidemque quod vitae reliquae exigam, inter cerevisiam illam pinguem. Et fieret sane aliquid, nisi cogitarem mox illum mateologum vestrum, qui illum boni doctique omnes defigant Archilochiano elogio. Et qui vos estis, quaeso, qui nescitis votis comminuere sic quasi frustillatim odium illud terrae? Iam eram scripturus bene longam epistolam collegae illi tuo amicoque meo magno Gentili; sed cum viderem illum vix rescribere suis, quos hic habet, patronis, non arbitror operae pretium perdere operam, utique cum tu promptius expedire possis, quod velim, quam epistolarum grandis farrago, instare etiam et urgere tergiversantem. Verum nihil urgeas velim. Spero enim ultro iturum ad me cum Epigrammate, cum intellexerit neminem fere esse orbis Europaei cultioris, quin hic sese mihi benignos praestiterint, praeter Altorfinos. Opus[323] vix finietur intra annum, immo ne post annum quidem, ut fiat scilicet omnino perpetuum. Quod dico, ne putetis me admodum instare, uti Musas vestras excitetis media de nocte, cum somnus est profundissimus. Literas Monavianas[324] tradidi Paraeo[325] nostro, quibus scribebatur quidem Zundelinum[326] nostrum papistam factum migraturumque Pragam. Sed credat Iudaeus Apella, non ego. Inconstantia talis talibus circumstantiis vix cadat in iuvenem ambitiosum et avarum, nedum in senem climactericum quique nuper dotatae factus maritus. An quia unus Zopyrus[327] transfugit ad hostes, etiam hunc id facere oportet? Apagete huiusmodi suspicionem. Aliter novi Zundelinum. Mihi refertur rem tibi hic esse cum Bilovio[328], auditorum meorum assiduissimo; quod nollem. Immo fere est, ut probem voveamque, diu tibi maneat tuo in aere hicque adeo arrestetur; sic enim fiet, ut eo longum fruar neque alio ipsum auferat ulla peregrinatio. Quid scribam praeterea? Nescio hercle nisi hoc. Me hac hebdomada petiturum puellam aliquam[329] in matrimonium, si nondum alicui alteri addicta aut destinata, itaque operiri

*) *Cod. sirenum.* An sirenant?

in horas nuntium Spira. I nunc, nega dignum, qui ter naufragetur bis naufragus. Verum o vos quaeso mitius. Satis ultro venit malorum. Potius optate, res cedat ex voto: sic nunquam sciatis, quid sit viduari probae uxoris primis amoribus. In quo omine finio teque, mi Rittershusi, plur. valere iubeo, certum amari a me Plautinis verbis oculitus animitusque.

Heidelbergae, die 16. Ian. 1601, ut soleo raptim.

Tuus omni officio Ianus Gruterus.

51. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 12. Mart. 1601.

S. P. Mi Dne. Rittershusi. Nuperis meis[330] petieram a te et Dno. Gentili Epigramma in Inscriptiones nostras, sed ita, uti demum id exigendum putarem post annum. Nunc scias typographo visum edere partem primam futuris nundinis. Itaque vides etiam tantum non repraesentandum; quod uti tu, mi Dne. Gentilis, tu mi Dne. Conrade, facias plurimum quaeso, non tam meo nomine quam Scaligeri ac Welseri, quorum auspiciis opus illud absolvi et in corpus unum redegi. De re altera; ita etiam est: videor mox futurus sponsus. Itaque et vestra vota velut Musarum ore profusa avide expectabo post Pascha[331]. Si res procedet, nomen habebit Catharinae Stockeliae[332] annorum XXIV, virgo moribus et vultu liberalibus. Familiam ampl. noris nescio, nisi forte cognoscis procancellarium nostrum Dn. Culmannum, cuius neptis est per uxoris sororem, quae est Zum Lambiana, quae familia hic et Spirae admodum nobilis per annos CCCC. Pater nisi fallor aut advocatus fuit aut assessor Spirae. Recepi literas nuper a Dn. Piccarto vestro, quibus multiplex debebam responsum et ob amorem et ob elegantiam ingenii eius et ob praeconium meum immeritum. Sed iam modo redux ab deambulatiuncula cum Melisso et occupatus literis aliis, quas expectant nuntii aliquot, *quaeso*, uti taciturnitati meae ignoscat, hoc *interim certus amari* a me atque aestimari, uti affectus

eius et doctrina merentur, h. e. in pectoris mei veluti penetrali locum obtinere talem, qualem ii, quos habemus plane in deliciis. Eo ut nunc saltem contentus sit quaeso, compensaturus culpam scriptura uberiore. Eidem etiam indices licet de nuptiis nostris deque Inscriptionibus, sed ita tamen, ut nihil ipse ab eo petam; tantum quicquid ultro imputaverit, habiturum magni beneficii loco. Vale, mi amice magne, et salve cum illo tuo—meo Dno. Gentili, cuius quotidie Colerus et ego meminimus honorifice, ut decet.

Heidelbergae, die 12. Martii 1601.

Vester, si suus, Ianus Gruterus.

52. Ianus Gruterus Scipioni Gentili, Cunrado Rittershusio sal. pl.

Heidelbergae. 18. April. 1601.

Et iunctim quidem compello, non ut statim expediar et duos veluti una fidelia parietes, multo minus, quod vos ita mihi viles, auro omni ac gemmis cariores, sed quod aliter peccaturus videar in arctissimam vestram amicitiam, quae vos ita implicuit, conglutinavit permiscuitque, ut alter adiri non possit sine altero. Mensis est et amplius multo, quod cum tabellario vestrate, qui heic iusto diutius haesit, scriberem vobis res meas inibi esse, ut iterum nuptiale illud mare tentarem. Et ita sane est. Itaque ut paucis multa dicam: ego et sponsa mea vos in optima prorsus forma invitant alliciuntque ad diem illam nostram decretoriam XII. Maii[333], uti tunc dignemini pro ea, qua me ultro complectimini benevolentia, coram cohonestare nos vestra desiderata praesentia. Quod si ullae remorae, quod non tam spero quam metuo, intervenerint sic quoque ex transverso, at hoc sane usquequaque impetremus a vobis, ut vicarios vestros ablegetis. Scin quos? Optimos maximos a Musis et Gratiis factos fictosque: Epigrammata, inquam, *vestra, quae* oris vestri, immo hercle magis pectoris imaginem *ad vivum* repraesentent, veluti si tabula essent lineis

Apellaeis. Pluribus istud ambirem, nisi eo pacto peccarem in spem meam et mores vestros diffisus vestrae fidei et benevolentiae, tanquam illud negetur mihi, quod iam tot millibus libentes dedistis. Tantum adhuc petam etiam vobis socium adscitum velitis vel propter Charitum numerum illum ternarium Dn. Virdungum. Et haec hactenus. Petieram item nuperis meis a vobis Epigrammata in Inscriptiones nostras, sed olim. Vix enim, ut omnia fluant ex voto, absolventur intra annum. Quare memineritis quaeso librum illum honorare vestris aliquando Encomiis, qui sic ille, immo etiam meus labor, mea industria merentur.

Raptim, uti soleo, Heidelbergae, die 18. Apr. 1601.

Si quid mihi interim rescriptum velitis, bonum factum, si literas vestras transmiseritis Norimbergam, uti tradantur nuntio Ambergensi; si neminem habetis potiorem, eatis sane ad Dn. Praetorium syndicum ibidem, cui hac de re scripsi, veterem scilicet amicum.

Vester omni fide atque obsequio Ianus Gruterus.

53. Trigae amicorum selectissimae Dnis. Gentili, Rittershusio, Piccarto, Dnis. atque amicis pl. observandis.

Heidelbergae. 16. Maii 1601.

Salvete plurimum, Dni. atque amici non e multis, hoc est, rarissimi, atque ignoscite, quod tres una alloquar epistola et ea quidem brevicula. Adhuc enim totus crapulae atque insomniae vix hoc possum, quod videtis, utique tabellario abnuente morari horae quadrantem. Ergo ut verbo dicam, pl. vos amo, plurimum vobis debeo ob versus, quos habuistis honori nostro nuptiali, voveoque, uti duobus e vobis mox simile liceat exhibere officium coelibibus. Tibi autem, Dne. Rittershusi, nunquam habeam necesse tale quid offerre, multo minus ipse petere debeas. Versus illi vestri ipso venere nuptiarum die aliis iam praeparatis ad praelum et alio ordine adaptatis, quem ilicet

mutavimus. Restat igitur, uti omnia obsequia mea vobis pollicear, oggeram praestemque ob tam promptam vestram comitatem atque prothymiam, quae omnibus aliis neglectis ita mihi vacavit, ut vix posset frater aut propior cognatus. Obitum autem filii tui[334], mi Rittershusi, uti par est, doleo fuitque, cur temperarem laetitiam convivialem, quamquam et aliud etiam ei accessit, morbus nempe Hieronymi Zum Lamb, avunculi sponsae, qui cum huc adducta secum sponsa mea advenisset, extra cubile pedem suum non posuit. Sic igitur nihil in his humanis sincerum, neque alioqui exorbitare soleo iam expertus per XX annos frontem variam, animum variorem sortis novercantis, cum maxime matrem praefert. ....*)

Heidelbergae, die 16. Maii 1601.

Vester omni iure totus Ianus Gruterus.

Si Dns. Clapmarius[335] me adhuc nosse potest aut cupit, officiosam ei ego salutem.

54. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 22. Aug. 1601.

S. P. Prolixe tuis rescriberem libens, mi Rittershusi, at vix isthaec possum prae importunitate operarum, qui quaternis probis me quotidie vexant. Iam enim bona fide pergunt in Inscriptionibus, haud ita tamen, ut absolvant ante nundinas; et quamvis deessent illi X aut amplius[336] indices, quos concinnat noster Scaliger, interim tamen prostabit his nundinis proximis. Quare si fieri potest, aveam intra aliquot hebdomadas habere tuum et collegarum Epigrammata. Fiet id commode per Freherum nostrum, qui Noribergae, ita tamen, ut nisi mox rediturus, mittat per tabellarios principales, qui septimanatim Amberga huc ventitant. Errorem meum Photiana consolatio[337] excussit, et doleo sane optimo seni, amico meo non vulgari, ita

*) *Reliqua* ut levia omisimus.

moriente in suis. Epitaphios versus eidem filio debeo quidem, sed quei exsolvam pressus immaniter a tot typographis? Quin ne tibi quidem audeo polliceri minimum quid ad Feudalia[338], nisi moram indulgeas longiorem. Anacreontica tua[339] avide expecto et Perficam eisdem iam nunc imploro vice Iunonis Lucinae. Discessum Virdungi vestri[340] graviter fero. Iam enim ei destinaveram portum Altorfium et merebatur, si quisquam alius. Plane tragoediae[341] eius rarae et quas anteferam mille huius saeculi poeticis non-poeticis scriptis. Clapmarium illum vestrum novi, si ipse est, quem aliquando heic vidi inter auditores meos[342] atque elegia non una nos cohonestare dignatus est. Si sic, eum prolixe saluto, si modo ego illi adhuc tanti, neque altius sapit quam ut despicere velit tam humilem fungum. Dno. Gentili officiosa adscripta erit a me salus, si redierit a profectione Pragensi. Utinam eum una tecum heic teneremus loco condigno. Nam Gothofredus noster redit Argentoratum et Heymannus[343] agit animam. Miserum meum fatum, quod nullus unquam succedat, qui aliquid spiret aut poetici aut critici aut —, sed taceo vosque iucundissimas candidissimasque animas pl. iubeo valere.

Heidelbergae, raptim ut soleo, 22. Aug. 1601.

Vester totus Ianus Gruterus.

55. I. Gruterus C. Rittershusio.

Francfurti. 20. Sept. 1601.

Cum iam meas tradi curassem Dno. Taurello[344], nobilis ille Silesius tuas tradidit et Virdungi, utrasque gratissimas. Quare licet non admodum requirerent responsionem, hac utique temporis angustia, qua premor, tamen non potui, quin, uti etiam commode irem ad Virdungum, tibi paucula haec reponerem summasque agerem gratias ob affectum, quem servatis erga me. Epigrammata vestra tempori venient. Nullum enim excudi volui, ut nec praemittere prae-

fationem, ne imponeretur emptori compareretque*) opus mutilum et nullius usus. Itaque si intra aliquot menses vestra nactus fuero, satis fuerit. Virdungi reditum libens intellexi et doctiorem poetam Colero res ipsa vocaliter clamat. In reliquis magnus sibi videtur, mihi vix habetur inter mediocres. Nescio, quae me<a> fortuna fuerit aut potius fatum, quod, cum ei optima quaeque vellem et nulli non commendarem, tamen rarissime me adiret alloquereturque. Si quid in ipso est tumoris, retundet hoc abradetque, dum isthic agit, fastus Polonicus[345]; at ne ad nos redeat Pyrgopolynices, cautio est. Haec ego tibi in aurem, cum videam etiam te tam libere sentire. Vellem omnes ita essent nec aliud in ore ferrent, aliud in pectore. Literas tuas alteras ad Melissum tradidit mihi idem ille Silesius, cui reddam una cum schedula illa, quae nescio quid repetebat a magnifico nostro. Carmen aliquod in feudales Partitiones[346] cum differri possit, faxo habeas satis mature deo favente. Vale, vir praestantissime, meque tui amantissimum amare pergas amore illo tuo magno. Salutem adscribo Dn. Gentili, Dn. Piccarto, nunc etiam Dn. Taurello. Quidni enim unicum colloquium diuturnam constituat amicitiam, cum etiam mutuo ament, qui se nunquam interviderunt.

Francofurti, die 20. Sept. 1601.

Tuus omni fide I. de Gruytere.

56. Ianus Gruterus Cunrado Rittershusio, Michaeli Virdungo, Michaeli Piccarto, amicorum trigae eximiae S.

Heidelbergae. 13. Nov. 1601.

Quidni una fidelia dealbem tres parietes unius ingenii, unius genii? Et duobus quidem vestrum[347] ob Elegiam grammaque in Inscriptiones nostras amicissimam rotun-

---

*) *Cod. compararetque.*

dissimumque plures ago habeoque gratias, idem facturus tertio, si quando a barbara peregrinatione[348] acquieverit paulum animo quasi ac corpore compositior, simile quid ultro mihi imputaverit. Epistolae tuae, mi Virdunge, ut etiam tuae, Rittershusi, statim respondi tradidique in manus uxori Levini Hulsii[349], quae se curaturam*) per maritum serio receperat. Hoc dico, ut norit Virdungus me magni fecisse, quod ultro literis tam lepidis, tam sanis compellarit quaeque negarent animo aut corpore aegrum, nisi periniquum videretur testimonium a domo. Eius Iuvenilia cupiam sane videre reformata in melius[350], hactenus ne lima atterat magis quam poliat. Adiecto Thrasea veniet in famam Lipsii et non inepte sustinebit, iam olim scilicet poeta non e multis. Quae D. Rittershusius a rectore nostro repetita cupiebat, ea recipiet per Melissum nostrum[351] aut certe certior fiet illorum. Virdungo iam nunc debeo Epigramma, quod praefigat Iuvenilibus. Vobis quod promisi, reddo, sed mensura non bona, nisi affectus meus pro effectu fuerit, quod a tam comibus ac modestis sperare libet.**) Videtis, quomodo me expediam. Sed veniam dabitis homini occupatissimo in aliis studiis et mentis nunquam sedatae. Vos nugis istis meis addetis ultimam manum impetrabitisque item Epigramma in Epigraphas[352] a Dno. Gentile, quem officiose saluto, ut etiam D. Taurellum. Valete, amicorum triga, et me funalem equum amore vestro sociali***) porro dignum aestimate. Ita vos aestimet Gratia, Pallas, Clio.

Heidelbergae, extemplo die 13. Nov. 1601.

57. I. Gruterus C. Rittershusio.

Heidelbergae. 28. Dec. 1601.

S. P. vir excellentissime. Exemplar Epigrammatum tuorum et D. Piccarti alterum heri demum recepi, licet

---

*) Cod. *curaturas.*

**) *Sequitur epigramma.*

***) *Cod. sonali.*

postridie scriptum, quo prius miseratis, quod ante duos fere menses recte mihi curatum fuit. Pro superflua hac cura merito vos amo aestimoque. Laetor quoque admodum non intercidisse meas illas vobis communiter inscriptas, tibi, inquam, et Cl. Dno. Virdungo; si enim memini, inerant nonnulla, quae propalam*) tuto non deberent saeculo tam fucato. Et Dno. quidem Virdungo iam in antecessum plurimas his ago debeoque gratias pro carmine, quo item dignatur ornare Epigraphas nostras. Etsi enim id nondum receperim, facio tamen coniecturam ex praeteritis de futuro neque ambigo, quin iam pridem illi petitioni nostro satisfecerit. Dii tantum viales faveant! At tibi, mi Rittershusi, tibi, mi Piccarte, quid dicam? Obligastis me vinculo non solubili, quod ita luculentis versibus conatus nostros prosecuti. Exigite igitur simile quid, quod antidoron sit. Nuper[353] quidem nescio quos versiculos utrique vestrum transmisi; sed nec mihi placent, ideoque quei sperem, ut vobis? Nunc huius temporis aliud quid excogitare electius non permittunt curae, quas impendo Dissertatiunculis aliquot Politicis[354]. Quidni enim tale aliquid et ego mediter annorum 42 fere quique a puero annorum 12 extra lares patrios peregrinatus per totam Europam[355], cum videam scribere politica pueros imberbes et qui vix promoverunt pedem ex hara parentum? Ferrem forte, si ab ipsis fontibus arcesserent et auctores ipsos consuluissent. Sed quid? Lipsium[356], Patritium, Bodinum, Castellanum[357], Machiavellum, Admiratum, Boterum compilant. Et sunt tamen homines, quibus illa collaticia stips**) aurea videtur, immo gemmea. Non invideo, sed imitor potius ave forsan magis fausta, sed ratione meliore. Verum de eo vos iudicabitis. Has inclusas, mi Rittershusi, si recte curaveris ad D. Vackerum[358] et elicueris mihi responsum intra mensem unum atque alterum, afficies me beneficio ingenti. Sunt enim qui ad-

*) *Cod. propale.*
**) *Cod. stipes.*

modum instant, ut Inscriptiones nostras dedicem S. Caes. Mti[359]. An id commode fieri queat, istis consulo Dn. Vackerum, si suaserit, id etiam facturus, si dissuaserit, non. Sed et alteras quaeso fac habeat Dn. Reusnerus[360], item si potes, ut respondeat. Petitur Epigramma in opus nostrum; quod idem expecto ab Dno. Gentili, quem officiose saluto. Valete in hunc sequentem annum et alios plurimos, amici magni.

Heidelbergae, XXVIII. Dec. 1601.

Vester Ianus Gruterus.

58. I. Gruterus G. Remo.

Heidelbergae. 10. Maii 1606.

Ampliss. nobilissimoque viro Dno. Georgio Remo[361], I. C. et Consiliario Norico, Dno. et amico obs. Norimbergae.

Nobilissime vir, amice pl. observande!

Valde gaudeo Dn. a Creutzen et D. a Schenk aperuisse viam colloquendi inter nos per literas. Eis feci et tua causa et ipsorum, quae volebant. Immo passus sum me pertrahi ad prandium, ubi multi erant praeterea iuvenes nobiles abiturientes Tubingam. Hanc scriptionem potissimum instituo, uti rogem tuas Musas, dignentur derorare iusto epicedio Lipsium nostrum[362]. Sunt enim homines quidam Antverpiae, quibus decretum extrudere nundinis autumnalibus Librum Lacrimarum[364], honori et amori critico illi magno. Cum autem a me petierint, non solum ut symbolam meam ei pro officio conferrem, sed et alios, quibus nihil non indulsit Apollo et Orchomeniae divae, incitarem exambiremque ad simile quid, tu mihi inprimis occurebas, mi Domine, utpote inter Germaniae vates tantum non coryphaeus.*) Itaque non deeris, vel communium studiorum causa, tam cari capitis exequiis. Scio eum virum frigere apud multos ob religionis inconstantiam[365].

*) Linea subducta Remus margini modeste adscripsit: *'ima cera locandus'*.

Verum quis est, in quem omnia confluant pura puta, sine ulla labe mali? Notam illam pensat multis aliis egregiis profecto dotibus, quas vel in hoste merito laudemus, nedum in Lipsio. Pluribus hanc rem tecum agerem, nisi eo ipso facerem amabilissimis tuis moribus iniuriam insignitam tanquam eis diffisus. Etsi enim iam dudum te noram ex ingenii vivis monumentis, at ut nuper et vivam vocem et comissimum vultum audio amplectorque, nihil non mihi persuadeo de tua humanitate. Tantum dolori est, quod in reditu item ad nos non deverteris, quo licuisset museam inter nos initam familiaritatem pluribus stabilire officiis. Verum quod coram non licet, licebit spero per vocis qualemcumque imaginem atramento chartae commissam, si non sarcire, at adumbrare tamen. Vale et salve, vir praestantissime, et meis verbis plurimam salutem Dno. Praetorio[366], quem si suada tua eo perduxerit, ut etiam carmine lugubri prosequatur praeceptoris mei Lipsii manes, expectationem meam de naturae tuae bonitate plane impleveris.

Heidelbergae, die X. Maii MDCVI.

Tuus tuo merito totus Ianus Gruterus.

De Rittershusio tecum sentio. Intempestivis lucubrationibus sibi damnosus fiet et nobis omnibus. Itaque quod in me erit, non cessabo monere amicum illum. Quid enim inconsultum magis quam ita studere velle, ut diu deinde studere nequeamus?

59. I. Gruterus G. Remo.

Heidelbergae. 10. Maii 1607.

Nobiliss. clariss. viro Dno., Dno. Georgio Remo IC^to^ et consil.^io^ patriae suae digniss., Dno. pl. obs. Norimbergae. — *Accepi XV. Iunii 1607.*

S. P. Vir nobilissime! Miram in te agnosco prothymiam, qui ultro oggeris, quod ambitiosissimis precibus mihi impetrandum erat, conferre scilicet tertiam Livii[367]

decadem ms. cum edita. Equidem quid huic prolixae voluntati reponam, immo quid respondeam, non video. Aveam quidem videre, si quid in membranis nobilissimis Hulsii[368] operae pretium, sed ut tu eum laborem sumas, impudens sim, si voveam. Si tamen id pro benignitate naturae sponte feceris eoque rempublicam literariam iuvare dignatus fueris, erit tibi maximum praemium conscientia; sed nec silentio involvam, per quem singulariter adiutus fuerim. Nolim tamen te, mi Dne., laborare in minutiis minutioribus, sed iis solum, quibus auctor fiat aut ornatior aut melior. Et nisi grave fuerit, velim ad marginem ponas paginam libri, item literam A. B. C. Est tibi Sigonii exemplar Venetum[369]; id et mihi ad manum absque eo mire laboravero in inveniundo. Iam Livius excuditur Francfurti in folio typis pulcherrimis, capitibus sive paragraphis distinctus, sed margine interiore, ut qui illa nolit, paene non videat. Mire interim conducent memoriae, et eo ipso in promptu erunt, quaecunque Rhenanus, Gelenius[370], Valla[371], Sigonius, Godelevaeus[372], Modius[373], Ursinus, Donatus[374] annotarunt ad eum auctorem. Ego etiam canicularibus conabor qualescunque in eum scriptorem notas, quibus reddam rationes emendationum mearum in ipso textu factarum explicaboque obiter nonnulla, quae alii neglexere et interim intererat scire iuventuti⟨s⟩. Indices in Tacitum[375] non recepisse te miror. Commendavit nescio cui Norico mercatori in nundinis Francfurtensibus Iungermannus noster[376]; ei id iniunxeram, cum ob aerem varium eo excurrere non auderem. In Epicediis Lipsianis[377], plane divinasti: Loiolitae nostra omnia insigni erunt nota haereseos[378] et haerent nunc credo apud Heinsium Leidae. Autographum tuum certe non invenio. Ad quod Antwerpam misi, haberi poterit ab Heinsio, cuius tamen, ut et Scaligeri, in Lipsium nullus vidi. Misere quidem ad me, sed non etiam traditum est. Nihil hodie incertius est, quam quod amicus mittat amico per amicum, cum tamen esse deberet certissimum. Itaque si ex Iungermanno rescire *non potero, cui* commiserit indices Taciti et meas ad eum

notas, iterato tibi, mi Dne., et Piccarto tramittam per occasionem. Interim plurimum te amo et amplector, plus vero debeo ob prolixissimam illam tuam invitationem, qua in te derivare cupis collationem ms. Liviani. Si lubet tibi, per me sane licet. Perge tantum faustis avibus, sed cum deerunt potiora, quae agas. Nam ut graviora intermittas, tanti non sunt, non erunt notae meae, utique cum iam textus interpolari amplius nequeat, qui excuditur modo praelis duobus. Vale et salve, delicies mera Musarum, mera cura Themistos.

Heidelbergae, die X. Maii 1607.

Tuus omni obsequio Ianus Gruterus.

60. I. Gruterus G. Remo.

(Heidelbergae). 8. Iunii 1607.

Nobili amplissimoque viro, Dno. Georgio Remo, I. V. D. et consiliario Norico et Dno. pl. obs. Norimbergae. — *Praes. 23. Iunii 1607.*

S. P. Ita est, vir nobilissime. Recte mihi tradidit literas tuas Dn. Freherus, quibus memineras codicis Hulsiani eisque etiam statim respondi procurante eodem Frehero. Sed et memineram praeterea huius rei in literis meis eodem paene die ad Dn. Rittershusium exaratis, quas recepturus erat Amberga tramissu Doct. Ioh. Ulrici[379] Illustrissimi nostri ibidem consiliarii. Nunc ut res est, video utrasque periisse, quod aegre mihi est. Pudet enim te, mi Dne., diligentiorem esse et promptiorem muneri maximo offerendo oggerendoque, quam ego recipiendo. Et vero res se sic habet. Iam est sub praelo Livius[380] in f.° litera grandi atque eleganti, editionis Modianae, nisi quod nonnullis locis eam meliorem fecerim ex Sigoniana, ubi illa consentiebat aut cum Mss. nostris Pall. aut cum ratione. Distinctus autem est per capita (sive paragraphos *vocare malis*) margine interiore, ut factum est quidem *utcunque in* Sallustio[381] et Tacito[382], sed magis ex voto

meo in Caesare Iungermanni[383]. Ad ea capita accommodavi notas annotationesque Rhenani, Gelenii, Sigonii, Godelevaei, Modii aliorumque, exclusis tamen ineptis illis et puerilibus nugis Velcurionis ac Saxonii[384], quorum tamen loco substitui notas Fulvii Ursini et Marcelli Donati. Decreveram adiicere paucula mea. Verum cum fidem meam obligaverim Marnio[385], pollicitus ei variantes plurium Mss. lectiones ad Caesarem[386], sintque alioqui sub praelo Velleius[387] et Panegyrici[388], ad quos typographi notas meas convicio suo expostulant, vix videor absolvere posse mea in Livium nisi nundinis vernis. Quare quod tam obvie et amice operam tuam suggeris conferendi decadem tertiam, plurimas tibi quidem et ago et debeo gratias, sed an tanti sint futurae meae notae, ut tantum laboris ipse exhaurias, haud equidem puto. Adeo ut in hac tua bonitate tibi nihil, non dico praescribere, sed ne quidem respondere possim nisi hoc: si tantum tibi ab tua re otii est, ut istud, quod polliceris, praestare velis, magnam te initurum gratiam apud rem publ. literariam, Gruterum vero praeterea tibi antea devinctissimum supra devotionis formulam obligaturus. Cuius beneficentiae haud parce memor erit in praefatione aliisque suis locis. Verum tu, mi Dne., dispice, an tota res tanti sit. Nam quod ad me attinet, ego meras dabo notulas, haud futuras trioboli. Ecquid enim aliud pollicear in tot negotiis, quibus involvo me aut involvor volens nolens? Si tamen iam omnino tibi stat sententia, fiat certe deo bene iuvante. Sed ut et me labore aliquo leves, velim adscribere te paginam libri ad variantes lectiones, item et intervalla paginarum distincta vel numerorum notis vel alphabeti literis. Maximos enim exantlavi labores, priusquam potui Rhenani, Gelenii, Glareani[389] etc. redigere ad ordinem capitum. Nam Sigoniana editio Veneta postrema[390] paginis insignita erat. De Indice Taciti[391] miror nondum tibi obvenisse cum meis schediasmatis[392]. Diu enim est, quod eum curaverit Iungermannus. Sed iam proculdubio nactus eris. *Quodsi Indicem nactus* es, non etiam meas notas, fac

sciam; mittam cum tabellario aliquo: vix enim supera⟨n⟩t terna folia facile epistolae includenda. In quo tamen nihil offendes ad tuum gustum. Ita ego non solum, ut canes, Nilum libo, sed et catulos pario caecos. Vale, vir amplissime, et salve a tuo omnibus modis Grutero, qui haec praecipitabat plane extemplo (Heidelbergae), die Iunii 8^{0}. 1607.

61. Cl.^{mis} praestantiss. viris DDnn. Cunrado Rittershusio, Michaeli Piccarto, Christiano Acidalio[393] ..

(Heidelbergae). 17. Aug. (1607)[394].

S. P. Amici triumviri. Subitus tabellarii abitus et luctus meus supra modum ut recens ita maximus, cur iunctim vos compellem, facit. Non frustra tu, Cl. Rittershusi, respiciebas in illo tuo grandi luctu[395] ad me. Quippe X. Augusti rursus amisi dilectissimam meoque animo proprie factam coniugem praecipiti casu[396], quem rescies ex subitaneis meis ad Dn. Remum. Quamvis domestico dolori totum te dederis, non poteris tamen, quin mihi condoleas et quasi novo feriaris vulnere: ita multa in ea et circa eam erant, quae misericordiam excitent vel ferreo. Verum hoc me solor: quod Deus dedit, Deus abstulit, et ille quidem Deus, quem (cum quotidie paterno nomine compellem, iubente quidem filio eius unico) scio et confido nolle ruinam meam etc. Haec libuit scribere, ut nosses, quam minime aptus sit ad inveniunda solatia aliis sibi potius applicanda.

Reliquias Isidori a Ianneloto expressas servabo in tempus nundinarum. Tunc etiam submittam pretia librorum, de quibus iterum vulsi aurem Bonutio[397], qui item exemplaria statim supplere paratus, quae defectuosa innuebas[398]. At tibi, Dne. Piccarte, multo maximas debeo gratias ob transmissam Disputationem de virtutibus imperatoriis[399]; non ambigo, quin ibi tui similis fueris, brevis acutus, *planus. Tibi* vero, Dne. Acidali, multum debeo, quod le*varis labore* muniendi tomum criticorum sextum epistola

praeliminari[400]. Eam vix videre poteris ante nundinas, siquidem maturas abitum fine Augusti. Verum quicquid mihi per litteras interim iniunxeris, libens praestabo in ipsis nundinis, quas Deo volente frequentare habeo necesse. Accuratius tibi respondere non possum, non debeo, ne videar aut — addo — ne sim ambitiosus in ultimis malis. Tantum, Triumviri amici. Salvete et valete melius Grutero vere infortunato. Tu quoque, Meursi[401] mi, salve.

Scrib. (Heidelb.), XVII. Augusti mihi vere angusti (1607).

Vester tamen, si suus esse potest, qui est moeroris, si non etiam moeras, I. Gruterus.

62. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 15. Febr. 1614.

Praestantissimo ornatissimoque viro Dn. Christophoro Hoeflichio[402] operam danti literis in illustri Ienensi.

S. P. Recte mihi tradidit tuas Gothofredus noster; quidquid alio tempore, alia via ad me misisti, non vidi. Alias sane rescripsissem. Nihil enim arbitror inhumanius quam sine responso dimittere, qui amicitiam aliaque appetunt, sive dignos sive indignos, etsi quis heic non dignus? Vere enim P. Syri versus[403]

Amicitia pares aut accipit aut facit.

Quare plurimum tibi debeo, mi Hoeflichi (vides enim, quam subito factus sis familiaris), quod tam obvia comitate e meorum numero esse cupis. Nec enim ii sumus, quos arbitraris, sed amatores solum admiratoresque literarum meliorum. Id munus si implemus, satis est nobis, in hoc perenni exilio, in isto perenni luctu. Iam enim biennium abiit fere, quod quartum factus sum viduus[404]. Quae calamitas toties iterata quem non auferat ab altioribus, nedum me humi repere suetum? Gaudeo interim ita adfectum vestrum vobis glaucomam obiicere, ut me aliquem putetis in studiis honestioribus. Voluntate quidem

conamur esse, item affectu, verum facultas, verum effectus non respondet. Semper reperio me adhuc vel intra vel circa carceres. Vestrum erit stadio medio exultare et indefesso cursu perseverare ad calcem. Qua in re si votis, si adclamationibus meis aliquid proficere me posse putas, impera et impetras. Habes heic interim, quod cupis, dextram scilicet meam, qua tibi polliceor fidem ac faventiam, quamdiu eam servabis virtuti et eruditioni. Quod spero futurum perpetuo. Quid enim sperem aliter de tam bene nato, bene educato. Has mitto via alia, quam monstrasti, quod videbar nactus occasionem.

Vale et salve et mille salutes meas imperti quaeso solertissimi ingenii acutissimique iudicii viro Dn. Eliae Reusnero[405], amico ut spero constantissimo, quamvis eum epistolis meis saepius non compello, quod ipsum nulla alia fit de causa, quam ob raritatem tabellariorum recta ad vos tendentium. Sed nec Francfurti offendo unquam typographos bibliopolasve Ienenses, quod miror et indignor, non solum quod amicitiae fructu*) ea propter priver, sed etiam quod non adipiscar libros, quos desiderarem eorum investigatione mihi emi ac vendi.

Scribebam die 15. Febr. 1614 raptim Heidelbergae.

Vester omni officio Ianus Gruterus.

63. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 11. Iunii 1614.

Cl^mo^. elegantissimoque iuveni Dno. Christophoro Hoeflichio iuris candidato et amico egregio. Ienae. recommandé a la courtoisie de Monsr. Remus.

Ianus Gruterus Christophoro Hoeflichio S. P.

Literis tuis tantum gaudii debeo, quantum doloris. Gaudebam mea aliquo esse in pretio apud te. Dolebam contra me ne centesimam ⟨quidem⟩ partem eorum in me invenire,

---

*) *Cod. fructum.*

quae liberali carmine contribuis, quod tibi dictavit non Veritas aut Fides, sed Amor deus ille caecus. Quanto tamen experior affectum tuum erga me fortiorem, tanto magis tibi obligor. Itaque quidvis a me exigas postulesque licet, nedum distichon in Theopistum[406] tuum, cui faveo, cui adplaudo atque adclamo faustis ominibus, sed numeris abundantiam voti mei includere non possum, utique eis a multis annis desuetus tanquam verus Musarum transfuga. Videbo tamen, an aliquid hac nocte velut e quercu exsculpere potero. Mortem Eliae Reusneri invitus intellexi. Indica quaeso diem obitus[407]. Quodsi etiam indicaveris, qua die terras has reliquerit frater eius Nicolaus ICtus[408], rem mihi feceris gratissimam. Immo si ausim, petam a tua bonitate paucis mihi indicare, quot a pluribus annis professores vestri hinc in coelestem abducti sunt patriam. Et ne videar oblitus viventium, si eorum natales indagares, faceres mihi rem gratissimam. His nundinis Aubrii publicarunt Chronicon Chronicorum[409], cui inter alia titulus natalium emortualiumque non modo nobilitatis sagatae, sed et togatae. Ei libro bonam contuli symbolam[410] et, nisi perstet, conferam deinceps. Tuum quoque natalem[411] ceteris adiunges. Summa enim de ingenio tuo et industria spero voveoque, moribus praesertim tam niveis. Haec habebam, quae lectioni meae accinctus tuis reponerem die 11. Iunii MDCXIV Heidelbergae. Habes heic inclusas ad Dn. Sitzmanum[412]. Vale et salve, mi Hoeflichi, a tui amantissimo.

Immo a lectione redux, statim istud sub manu natum est, quod aequi bonique facias, quia tuo a genio ortum, non ab ingenio meo.

In Theopistum elegantissimi Hoeflichii.

Qui bono fidit suamque dedicat vitam Deo,
Huic fluunt secunda semper, huic favet Polychorus*),
Saeviat crebris quamquam hinc et inde tempestatibus:
Naufragumque vix ab undis eruat clientulum.

---

*) *Producta y, cf.* Acheruns cum a longa; cod. Polichorus.

Quid vetusta exempla quaeram, quid recentia? Omnium
Instar Hoeflichi est Theopistus. Huic noverca plus boni
Praestitit Fortuna quam ulli praestitit quondam parens,
Dum bono fidit suamque dedicat vitam Deo.

Salutavit me heri quidam nomine Albertii Dani[413]. Non dubito, quin studiorum similitudo ingenerarit item animorum concordiam. Quare uti eum a me non simpliciter salutes, plurimum quaeso. Casum eius intellexi cum dolore summo. 'Dabit deus his quoque finem', et 'Grata superveniet, quae non sperabitur, hora'[414]. Si votis meis quid proficerem, rei personam iam nunc exisset omnium calculis absolutus, ire iuberetur, quo eum bonae Musae earumque dux Apollo vocarent. Si nondum tibi est amicus, ne te absterreat mala haec eius sors, quominus propius eum tibi adplices; facies et studiorum et famae bono. Salvete ambo a

Grutero vestro.

64. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 17. Sept. 1614.

Cl^mo^. praestantissimoque viro Dno. Christophoro Hoeflichio poetae laureato et LL. candidato et amico optimo. Ienae.

S. P., mi Hoeflichi, et habe tibi plurimas gratias pro diebus natalibus professorum Ienensium. Res successit supra spem meam, sed non supra votum. Noram enim venustatem tuam mere helcusticam, noram comitatem nihil denegantem amicis. Itaque non erat, quod tam timide tu carmen a me in lauream tuam[415] exambires; iure tuo id poscere poteras, dummodo quid tamen in me esset, quo honorem illum tuum redderem honestiorem. Et sic tamen in Cicerone[416] totus et omnium illarum rerum quam Musicarum, ecce tibi lubens meritoque obsequor.

Quem natum Suadela recens Heliconide lympha
Perluit ac proprio vinxit Athena peplo,

Cui Venus infanti mammam dedit, ebria mensis
Aethiopum, fuerat quo comitata patrem,
Cui cunas Erato movit, cui gramine Pindi
Vallibus exsecto fulsit Apollo caput,
Quem puerum non una Charis sectata perenne est
Quemque adolescentem nunc perit ipsa Themis,
Iure etiam merito laurorum Hoeflichius umbris
Cingitur ac vatis nomina sancta capit
Spemque facit fore se, de quo omnes dicere possint:
Phoebum cum Musis quaerere stultitia est;
Phoebum cum Musis Hoeflichius exhibet unus:
Si non, nec Phoebus, Musa nec ulla fuit.

Quidquid heic pecco, voluntati tuae adscribendum veniet, non facultati meae, cui ante oculos meritum tuum tantum. Amplissimo Dno. Gryphiandro[417] plurimum debeo pro tam prolixa salute eiusque mille totidem millenis remuneror. Sed et annus est, immo anni, quod haereo in aere Dn. Casparis Facii[418], a quo ornata licet fuit rotundissimo Epigrammate[419] Inscriptionum nostrarum moles, hactenus tamen silui. Quare quaeso te, subi meam vicem ac tam come caput gratiarum floreo imbre largiter inumbra spondeasque audacter me humanitati eius valide obligatum. Sique occasio oboriatur redhostiendi, omnia ipsum a me expectare posse, quae ab homine doctrinae eius ac virtuti deditissimo. Ita vivam, ita valeam.

Scribebam inter strepitus visitantium bibliothecam Palatinam XVII. Septembr. MDCXIV Heidelbergae.

Ianus Gruterus vester.

65. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

(Heidelbergae). 14. Dec. 1615.

Clariss°. eximioque Dno. Christophoro Hoeflichio I. C^to^. reipublicae patriae syndico etc. amico edecumato. Norimbergae.

Ianus Gruterus Christ. Hoeflichio.

Tria simul ex unis tuis literis didici: assecutum te

summos studiorum honores, promotum ad dignitatem egregiam[419a], coniectum denique in copulam nuptialem[420]. Gratulor tibi ex animo, utinamque vel anni ferret tempestas, uti ad vos excurrerem! Facerem profecto libens partim tui causa, partim patriciorum vestrorum, quorum in ceimeliis scio esse vetera illa numismata, de quibus ante multos annos mihi multa eximius noster Dn. Praetorius, qui ubi sit, proximis tuis cupide opperiar. Salutetur a me plurimum, ut etiam Dn. Remus, cui nuper scripsi. Epithalamium requiris[421]; debeo quidem, sed unde solvam ego ille tot iam annos Musarum Charitumque transfuga? Quei tamen constaret nihil non me velle tibi ac tuis, ecce trochaicum istud subito animi calore fusum mihi:

Ergo nuptias, die quo natus est Hoeflichius[422],
Cum sua facit Regina? O ominis factum boni!
Liberosque quod promittat ac nepotes plurimos.
Sponse macte, macte sponsa! Vester hic totus dies,
Tota nox haec vestra, vestra tota mutitatio est.
Vivite eia, bibite eia, dum Lyaeus, dum Venus
Imperat, vitam utriusque vestrum animi ex sententia.
Dum licet lubetque per licentiam ac lubentiam,
Bibite eia, vivite eia, vestrum animi ex sententia.

Ab aliis accipies meliora ac molliora. Ego similis sum aurigae, cui adhuc suaviter accidit ad aures crepitus flagelli, similis sum naufrago, qui licet subductus sim in terra ex Oceano illo Tulliano[423], tamen adhuc nauseo, tamen adhuc vacillo pedibus. Omnia fausta tamen ac felicia opto voveo huic coniunctioni, h. e. sit ex animi utriusque sententia. Si Altorfii celebrabuntur nuptiae, tunc tu mihi non simpliciter salutato Dn. Gentilem, Dn. Piccartum, Dn. Virdungum et si quis est praeterea, cui notus esse possim. Vale et salve tu quoque, mi gratissime Hoeflichi.

Praecipitabam (Heidelbergae), XIV. Decembris 1615.

Inclusas tu quaeso aut Dn. Remus per occasionem *Vratislaviae.*

66. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 15. Febr. 1616.

Cl°. praestantissimoque viro Dno. Christophoro Hoeflichio I. C. atque syndico urbis patriae etc. Norimbergae.

S. Lubens intellexi nuptias tuas tam feliciter decurrisse a carceribus ad metam. Fructum earum ut suo tempore gustetis, precor Deum opt. max. diuque unanimes vivatis. Quo voto complexus sum omnia, quae faciant hominem serventque beatum. Gavisus sum, ut legi etiam festo illi tuo interfuisse Dn. Piccartum; inaudieram enim aliquid de eius valetudine minus bella ideoque vehementer eram sollicitus, utpote quem arbitror doctorum omnium calculis substituendum in locum demortui Rittershusii: adeo et iudicio est singulari et ingenio unico. Ei tu quaeso mille a me salutes in hunc et plures annos sequentes, quod votum idem ingeras velim officiosissimo virorum Dn. Praetorio, cui plurimum gratulor de expeditis reip. suae negotiis . . Faustissima item opto precorque virorum optimo Dn. Remo. Plurimum tibi debeo pro felici adprecatione, qua me apud divinam providentiam prosequitur tuus Iambus. Nec minus obligatus sum Dn. Gryphiandro pro transmisso Epitaphio Eliae Reusneri. Optimae sit naturae oportet, qui tam comis est in nihil merentem. Vellem profecto heic etiam in aliqua re ei gratificari posse. Libens quidvis eius nomine subierim. Quia te video familiariter notum Neusteterianae familiae, fac obsecro habeam diem natalem emortualemque Erasmi Neustetteri[424], Maecenatis illius regionis incomparabilis et ad cuius memoriam cor mihi totum subsilit: adeo multa de eo egregia solitus est mihi narrare Posthius ac Melissus, eiusdem alumni, eaque propter merito ipsum consecravit epitaphio Musa mea extraordinaria[425]. Gebhardo[426] tradidit inclusas amanuensis meus indicavique respondendi opportunitatem. Respondit quotidie patere ad vos iter. Itaque si nunc non rescribit, faciet alias estque, quod albo signet calculo fortunam illius diei, quo tuas recepit, nedum ut opus tibi

sit me proxeneta ad eum tibi demerendum. Salutabo, quos iubes, per occasionem, sed ea tam rara est, ut cancellarium nondum allocutus sim, ex quo rediit a Noricis vestris. Nimirum ut noris, ego reddor alter Timon aut Bellerophon; ita omnia humana mihi displicent comprehendasque universa unica simulatione atque dissimulatione. Hinc involvo me libris et chartis nuncque adeo magis, ubi demissa familia hospitor in aedibus propriis utorque mensa aliena ad mensam meam. O monstra! atque hoc fit post funera IV uxorum. Quamvis habeam eximium epicoedium Dn. Gryphiandri, adhuc tamen incertus sum de die obitus Eliae Reusneri, uti et fratris eius Nicolai[427]. Itaque cum vacabit, eum per tuos erues; cupiam enim additum[428] Chronico Chronicorum Gualterii nostri. Vides, quantum tibi facessam negotii. Sed ita soleo, tanto quidem confidentius, quod non recusem idem in me. Fac modo periculum. Interim salve ac vale a tuissimo Grutero haec fundentis (*sic*) XV. Febr. 1616 Heidelbergae.

67. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 1. Aug. 1616.

Cl^mo^. eximioque viro Dno. Christophoro Hoeflichio patriae suae a secretis etc. Norimbergae.

S. P. Literas tuas, quarum meministi, nullus recepi. Immo num meae postremae ante duos menses datae tibi in manus venerint, dubito. Iis enim indicaram penes D. Gernandum[429] esse omnia et singula poemata Melissi *ανεκδοτα*, correcta et ad prelum parata a vivo poeta. Is si ea edere in animo esset, videbatur tibi communicaturus. Verum ut ex postremis istis tuis intelligo, aliud onus in humeris tibi est, per quod amoenitates sequestrare necesse habebis. Dignitatem eam[430] tibi gratulor faustaque omnia ac felicia in ea tibi voveo ex toto pectore. Gernandus ante plures annos Philippicorum aliquot centena expetebat *expectabatque* pro Melissi poematis. At quoniam iam nullus est, cui obtrudi possint, perpetuo luctabuntur cum

situ ac tineis. Si enim nescis, universa vix comprehenderis voluminibus quattuor, quinque in 8°. Extant ibidem inter alia XXXVI libri Spinarum[431]. Si excuderentur, nullum invenirent emptorem, partim ob molem et fastidium, partim ob pretium grandius. Creaturae ipsius forsan ipsa sibi comparabunt*), nemo praeterea. Aevum enim istud prorsum *αμουσον*. Indicabo Gebhardo, quod vis; sed is dudum mihi dixit petere te ab ipso epithalamium post celebratas nuptias, quod praeposterum putat; genethliacon iustius petendum ad primam prolem. Dn. Mundii[432] literas libellumque recte recepi, atque en ad ea responsum per nobilissimum Imhofium, per quem tuas recepi, maximae respectationis iuvenem. Salutabis a me admodum officiose Dnos Camerarium, Remum, Freherum, Praetorium et si quis praeterea mihi non inimicus.

Deproperabam prima Augusti MDCXVI Heidelbergae.

Vester totus Ianus Gruterus.

68. I. Gruterus Ch. Hoeflichio.

Heidelbergae. 2. Nov. 1617

Clariss°. eximioque viro Dno. Christophoro Hoeflichio reip. inclytae Noricae a secretis etc. Norimbergae.

S. P. De versibus meis in Scipionem[433] p. m. serius eos advenisse, nullum damnum est, immo damno fuissent, si maturius se vobis stitissent, qui facitis Gentilem Alpha omnis literaturae, cum carmina mea vix eum constituant Kappa. Itaque nebulae fuissent inter vestras stellas neque merentur sane, ut seorsim excudantur. Epigrammata Neustetteriana[434] vel retine vel mitte D. Piccarto; nam ut mihi remittas, cui bono? Interim velim tibi curae esse scrupulum illum super natali Erasmi Neustetteri eximique suo tempore. Hoc scribo, quia de eo in postremis tuis sileas neque quidquam illius meminerit ad me Piccartus.

---

*) *Gruterus ipse: comparunt.*

At cum semel tantum nascamur, quam turpe est haerere in tali die? Ob effigiem meam missam tantum abest, ut gratias debeas; tibi contra obligor, quod non dedignatus admittere mercem evapidam. Ver Thuanum[435], aestas Hoeschelium abstulit. Ut res nata est, flebimus etiam alium ipsa hieme. Res literaria non sensim ruit, sed subvertitur impetu vis*) maioris; adeo columnae eius omnes lectissimae succiduntur a fatali Parca. Interim quinam obsecro succrescunt in locum demortuorum? Ego admodum paucos novi. Sed ita nimirum consulitur varietati universi, si saeculis aliquot densa iterum premamur barbarie. Ergo fiat quantocius, quod debet. Verum cessent querelae; nam vix satis est, quei me curem, qui iam octo dies pugno contra colicos dolores sentioque corporis huius crasi infensissimos. Spero tamen meliora Deo max. favente. Remittunt enim, certe intermittunt se paroxysmata. Divinam providentiam precor, ne simile quid amicis meis accidat. Vale igitur, mi Hoeflichi, et persevera amorem tuum erga Gruterum, qui te perpetuo.

Heidelbergae, 2. Novembris 1617.

69. I. Gruterus G. Remo.

(Brettae). 11. Apr. (1625)[436].

Ampliss°. excellentiss°. Dno. Georgio Remo, cancellario scholae Noricae etc. Norimbergae.

S. P. Amicorum primarie! Ita est. Deliteo Brettae apud generum[437], qui unus ex omnibus Serenissimi nostri administris adhuc vivit in dignitate pristina, quod necesse habeant iuniores consulere aliquem gnarum legum rerumque Palatinarum. Iam totus sum in concinnandis politicis notis ad Livium, qui tertio iam recuditur in f.° Francfurti[438]. Vidisti puto Bibliothecam exulum ante semestre a me editam[439] et probasti saltem ut amicus. Debebatis habere

*) *Gruterus ipse: vi.*

exemplaria a me, sed stratiotarum excursio itinera omnia et commercia interrumpit. Scripseram tibi ante quinque menses, Rutgersium et Heinsium meditari editionem Epistolarum Ios. Scaligeri arbitrarique ipsum et tibi et pie defunctis Gentili, Rittershusio[440], Piccarto saepius scripsisse. Eas literas libenter aliis admiscerent. Nemo omnium est, qui negotium istud efficacius dexteriusve exsequi posset quam tu, mi Dne.; itaque si nondum transmisisti ipsis, quod me interprete petebant Rutgersius et Heinsius, quaeso adnitere, uti proxime id nanciscantur. Ego decreveram descendere ad Frisios[441], ubi vocabar salario 400 amplius Ioachimicorum; sed dum me itineri paro, dum vasa colligo, dum sum in procinctu, iniicit mihi manum amor Palatinatus, amor filiae reliquae exque ea nepotum retinentque Brettae: ubi moriar, si Deo placuerit. Arbor tam sera e montibus ad paludes transire non posset sine mortis periculo. Si animus esset huic migrandi, concederem potius Hafniam[442]. Ibi enim invitor invidendis praemiis, non ut praelectionibus disputationibusve praesim iuventuti, sed ut ei saltem copiam faciam meae praesentiae. Bene sit regi illi, qui tanti facit literas literatosque tunc, ubi ab omnibus contemnuntur. Ameliae[443] nostrae ut optima omnia spero, ita et metuo pessima. Dn. Freherum recte valere gaudeo. Utinam et te audiam optime valentem, non iam amplius tua causa, sed publica, utpote qui cancellarius academiae[444] nomine eo certe te praestabis dignum. Gratulor tibi hunc honorem, immo Musis et Apollini. Nondum mitto Carmen suum Dn. Hofmanno[445], plane impeditus, sed tamen multas salutes ei ne graveris communicare, plurimum rogo, ut et Dn. Virdungo, Dn. Mauritio[446]. Tu quoque vale et salve, amicorum officiosissime, ab omnibus modis tuo Iano Grutero.

(Brettae), postridie Palmarum (1625).

70. H. Thederingus G. Remo.

Altorphi. 19. Apr. 1616.

Amplissimo, Clarissimo et Consultissimo Dn. Georgio Remo[447], P(atricio) A(ugustano) et IC. praestantissimo, Reip. Noriberg. Consiliario dignissimo, Dno. et Favitori plur. honorando. Nürnberg. Aufm Dillinghofe.

S. P. Pauci sunt dies, Amplissime Dn. Doctor Reme, Fautor pl. colende, quod amici mei singularis, civis et mercatoris vestratis, Dn. Iohannis Helmii flagitationibus invitatus, eius insuper in me officiis multis permotus, ad Vos transieram, ut sacris ipsius nuptialibus interessem diemque unum ac alterum (quod etiam factum) hilarem ibidem exigerem. Qua occasione Vestram quoque Ampl. conveniendi animus erat, ut et animum Ipsi meum gratum pro commodata denuo in coemendis libris opera coram exponerem et assignatam in litteris A. V. pecuniam restituerem. Utrumque hoc propositum absentia A. V. tum temporis inhibuit et suspendit; cuius nunc per litteras exsequendi varia mihi incumbit necessitas, ne scilicet vel impensum hic A. V. laborem levius et vilius aestimare vel de pristina mea integritate ac fide quicquam remisisse coarguar. Quare, quod saepius antehac factum, observantiam meam et cultum denuo heic A. V. addico et obstringo, nexu etiam tanto arctiori, quanto maior beneficiorum vestrorum in me cumulus accessione ista identidem efficitur. Proroget Iehova Deus Ampl. Vestrae vitam istam et valetudinem, quo gaudere diu tam nobili Vestra virtute et comitate, quae parem non habet, boni omnes queant! Nec pluribus eam hic depraedicabo aut persequar, ne, dum buccinatorem laudum A. V. me constituero, eas pauperis ingenii et crassioris Minervae culpa deteram potius quam exornem. Negotiosa res est atque adeo periculosae aleae plena *τὸν ξύοντα ἀντιξύειν*, hoc est, iuxta Plautum, redhostire[448] contra, ut merueris. Equidem voluntatem declarandae gratitudinis in omnibus, quae a me proficisci poterunt, studiis Ampl. Vestrae probaturum me semper

non est quod ambigam; de facultate Deus et dies viderint. Quae restant nummis, non verbis expedienda veniunt, quos ego numeratos iam et paratos litteris hisce committere destinaram, ni dubitatio quaedam me retraxisset, quam verbulo eximere Ampl. Vestra dignabitur. Unicum enim saltem exemplar Lexici Iuris fasciculus transmissus habuit et litterae expresserunt, cum duo ὑπόμνημα bibliopolae datum afferri voluerit, et ille quoque duo se A. V. tradidisse mihi dixerit. Quid igitur de altero exemplari factum sit, coniicere nequeo; Copius[449] noster illud suis usibus exoptarat et etiamnum, si haberi potest, desiderat. Notas Cl. Bachovii ad Treutlerum[450] eidem bibliopolae restitui, et ipse eas ultro recepit, quod ultra praescriptum schedulae nostrae non subsequentes primam decuriam disputationes, sed illas ipsas priores 10. disputationes superioribus nundinis iam mihi paratas Ampl. Vestrae obtulerit. Pro his ergo pretium 48. crucigerorum demendum erit et duo R. addendi, si adhuc unum exemplar Lexici huc appulerit, manente ei integra vecturae mercede 25. cr., si forte eam sibi minui propter restitutum notarum Bacchovianarum librum exigui ponderis non patiatur. Quicquid erit, simulac de Lexico altero recte curato inaudiero, pro acceptis libris assignatum pretium remittam gratus. Dn. Mylium credo A. Vestrae ante abitum valedixisse aut certe voluisse, si per absentiam A. Vestrae licuisset. Is 16. die Apr. cum mercatoribus aliquot invitus et subtristis Noriberga Lipsiam movit; Deus ipsi iter fortunet et salvum in patriam reducat. Inveniet mutatam ab illa, quam ante triennium reliquit, in statu tamen tolerabiliori et laetiori quam a tanto Baalitorum furore sperare quis potuisset. E duobus malis, si utrumque declinari non potuit, minus fuit eligendum. Praestat nummis aliquot carere quam Martem continuo timere aut pacem suspectam, quae ipso bello deterior est. Epistola his annexa Excell. Dn. D. Kirchbergero[451] a me debetur, quem primum in nuptiali illo Helmii prandio cum aliis hospitibus clarissimis mensae tessera mihi iunxit, et theses hic transmissae de usu venarum[452] retinere debent,

quod eas sibi communicari unice a me petierit. Hanc ut ipsi per famulum suum A. Vestra exhiberi curet, qua debeo submissione et observantia rogo. Vale, Vir Ampliss., Fautor Optume; salve etiam a salutatis nuper, h. e. Dn. Vöhlino[453], Rittershusio, Hoppio[454], Copio etc.

Altorphi, 13. Calend. Maias ao. 1616.

Vester omni nomine Hermannus Tederingus Dantisc.

71. H. Thederingus G. Remo.

Altorphi. 6. Maii 1616.

.. Georgio Remo .. Reip. Norimberg. Consiliario .. Noribergam. Aufm Dillinghofe.

Salutem et Observantiam. Respondendo literis Ampl. Vestrae, Clarissime Dn. D. Reme, Fautor honorande, non tamen respondeo, quia spirantem in istis humanitatem Vestram verbis assequi non datur, nedum retribuere. Neque unquam tanto amori et favŏri parem reponere gratiam potero, nisi ab Ampl. Vestra, cui me totum debeo et debebo, memet liberandi tribuatur mihi aut saltem imputetur copia aliqua et facultas et sic ab eadem Vestra virtute, cui moriar obstrictissimus, exsolvendi debitum tantum potestas mihi fiat et gratia nova, hoc est, beneficium beneficio cumuletur. Gaudeo tamen bonum me hucusque nomen ab Ampl. Vestra habitum, quod non appellando malum tamen non fiat, quam existimationem de me fovere et conservare cupiens involvi hic nummos pro libris iam tramissis et uno adhuc tramittendo, Ampl. Vestrae debitos, quorum summa est 7½ R. et 13 crucig. Exsolvissem me hoc debito citius, sed deerat, qui transferret, homo idoneus; neque enim sine periculo pecuniam sola papyro investitam carrucario concredi posse arbitratus sum. Nunc optato se obtulit sympatriota hicce meus Iacobus Nochius, qui adhuc ab itinere Borussico calet, ex paucis abhinc diebus ad nos *appulit, rem* studiorum suorum apud nos Altorphii auctu*rus et libris* sacratissimis operaturus sedulo. Qui cum

certis de causis Noribergam excurrere necessum haberet, lubens hoc, quicquid est oneris, sibi a me imponi passus est, praesertim cum et in mensa ac musaeo pro modo facultatum suarum conducendis opera mea et consilio pro voto nuperrime usus fuisset. De sacro Elbingensium negotio mala nova recentes Dn. Hoppii et aliorum popularium litterae narrant, eos nimirum principum et vicinarum civitatum speratis et promissis auxiliis destitutos atque*) desertos primarium sive parochiale in ipsa urbe templum clero cessisse cum certa pecuniae summa quotannis ipsis conferenda. Causam deditionis huius assignant iteratas saepius Regiae Maiestatis minas, commerciorum difficultatem et Dantiscanae inprimis reipubl. inconstantiam foederisque neglectum. Quarum**) postrema mihi vel ideo nondum verosimilis visa est, quod conterraneus iste meus, qui vix mensis unius spatio patria Gedano abest, nihil de fama hac mala domi inauditum fuisse perhibeat, sed in comitiis Poloniae litem istam adhuc haerere dubioque eventu agitari asseveret. Nollem hanc maculam patriae meae vere inuri, quod ardentem proximae urbis parietem flammis istis occupari et exuri permiserit. Ac licet forte habeat, quo factum (si ita sit) excuset, quia videlicet ipsi quoque Elbingenses ao. 1577. Dantiscum obsessam et bello a Stephano Pol. rege temere lacessitam perfide dereliquerint, vereor tamen, ut ultio haec locum et veniam apud eos, qui sine affectu iudicant et mala malis non rependenda esse didicerunt, inveniat. Sed de his certiora brevi expectamus, quae ubi ad nos fuerint perlata, faciam quoque de his Ampl. Vestram statim certiorem. Hic finio et Vestrae benevolentiae in posterum quoque serio me commendo. Salutem Ampl. Vestrae per me transscribunt Dn. commensales et conterranei, amici nostri. Excell. Dn. D. Kirchbergero, si dabitur congressus, officiosam nuntio salutem. Credo eum praxi impediri, quo minus litteris

---

*) Cod. *et q.*
**) *Cod. Quorum.*

quoque affectum verbis declaratum confirmet et apertius testetur. Ego interim illum et omnes, quos mei amantissimos sum expertus, observabo et suspiciam perpetuo. Vale, Vir Ampliss., Fautor Opt. Max.

Dabam Altorphi, prid. Non. Maii ao. gratiae 1616.

V. N. et A. omni nomine et nexu
Hermannus Tederingus Dant.

72. H. Thederingus G. Remo.

Heidelbergae. 2. Ian. 1618.

. . Dn. Georgio Remo . . inclito Senatui Reip. Noribergensis a Consiliis intimis . . Nürnberg.

Amplissime Dn. Doctor Reme, Fautor aeternum colende. Non fuit omnino de nihilo meum de diuturniori et insueto A. V. silentio malum omen, quo A. V. vel aegram vel aegrotam coniectabam. Diu enim multumque de A. V. salute et vita sollicito mihi, superioribus tandem diebus iacturam domus vestrae irreparabilem, coniugis[455] carissimae luctuosum obitum nuntiarunt Rev. et Cl. Doct. Altingus[456] et Clariss[i]. P. et F. Gothofredi[457] nostri. Tanquam in luctu communi dolui vehementer istam calamitatem domesticam et inopinatum moerorem A. V. in hac provectiori et ad senium vergente aetate afflixisse, quae curarum sat ante gravium imminutionem, non augmentum sperare iam debebat. Cogitabam insuper de iis, quae dolorem hunc si non auferre totum, saltem aliqua parte levare possent; sed nulla succurrebant, quae A. V. pro constanti animi magnitudine et inexhausta doctrina non essent iam ante notissima. Quia tamen menti aegritudine velut oppressae ac sepultae non obversantur saepe iusta solatia, συμπαθείας meae rationes et pectus hocce inoffensae A. V. quietis statusque florentissimi semper amantissimum sequentes lineas facere iusserunt. Unde autem efficacius huic vulneri remedium quam ab ipsa divina Providentia peteretur? Haec si omnia curat, uti certe curat etiam minutissima

ita, ut nec capillorum lapsus nec vilissimorum passerculorum volatus eam subterfugiat, utique nec cordis dimidium et quasi altera hominis coniugati vita sine eiusdem nutu succumbet. Quae igitur Deo nostro placuerunt, nobis cur displicerent? praesertim quando

Quod Deus imponit, molle est; quod iudicat, aequum est;
Quod statuit, iustum est; quod facit, omne bonum est,

et Eius sancta voluntas omnium instar rationum nobis sit et esse debeat? Fato enim iunguntur, fato solvuntur amores tandemque bonis omnia in bonum cedunt et operantur. Videntur quidem nobis mala, quibus fidem et aequanimitatem nostram subinde exercet Deus, nostrorum ex hac statione migratio, propria nostra afflictio et quae his accedere possunt; sed revera mala non sunt, poena non sunt, *δοκιμασίαι* sunt et amarae quaedam sagittae ex dulci Dei manu emissae. Et si maxime talia essent, tamen cum Iobo dicendum: Dominus dedit, Dominus abstulit; si bona innumera ab illo accepimus, pauca mala sufferre cur detrectaremus? Sed desinent nobis mala appellari, si vitae huius fugacitatem et rerum humanarum vicissitudines vanitate undiquaque permixtas nobiscum reputaverimus. Quin potius ita statuemus: non recedere aut discedere plane nostros per mortem nobis subtractos, sed saltem nos praecedere. Est enim Christianorum quaedam profectio, quam mortem vocamus; maxime tum oriuntur, cum pie moriuntur: funus fenus habent. Desinunt peccare, desinunt iactari, desinunt miseri esse. Ex umbra vitae ad veram vitam, e tenebris ad lucem, ab hominibus ad Deum concedunt. Quae felicitas cum et lectissimae matronae, A. V. coniugi desideratissimae nuper contigerit, non invidenda ipsi fuerit. De onere administrationis domesticae, quod per se satis grave est nec publico bono nato ac destinato imponi solet, Deus providebit, qui vulneratum a se sanare, contristatum exhilarare, in abyssum quasi calamitatum deductum extrahere fortiter potest, clementer solet. *Eundem animitus* precor, haec et alia, quae solatium ad-

flictae menti praestant et A. V. maiori etiam copia et efficacia feliciori in horto omnigenae lectionis et doctrinae sponte nascuntur, animo Eiusdem firmiter inprimat, ingeneret, conservet! Mihi plura congerere religio est, ne non tam clientis observantis et ab A. V. promotione etiamnum pendentis, quam de fortitudine animi et tolerantia Eiusdem subdubitantis causam egisse videar.

Ipsa interim pie defuncta femina hoc a me cenotaphium habeat:

Clauditur hoc tumulo magni pia costa Georgi
Remi, Musarum principis et Themidos.
Eiusdem ut dolor hinc natus claudatur eodem
Mordacesque brevi tempore curae abeant,
Hoc Themis, hoc Charites, Musae omnes voce precantur
Una. Eadem et tua nunc vota, viator, erunt.

Quae restant de celebrato apud nos iubilaeo, de felicissimo principis nostrae partu[458], de templo Elbingensium certis conditionibus Papicolis cesso et quae his cohaerent, partim ab aliis, partim a me m. Octobri credo perscripta esse. Et quamvis nec a Cl. Dn. M. Rettero nec a sympatriotis Altorphii commorantibus responsi quidquam ad meas eodem tempore transmissas tulerim, recte tamen singulas curatas confido. Finio igitur hic meque pristino Vestro amori et favori singulariter et submisse commendo.

Heidelberga, ex aedibus Doct. Iordani[459] IC.[1] et Eth. P. P., postridie Calend. Ianuar. ao. nove coepto 1618, cum quo omnia fausta-felicia, vitam, valetudinem, erectum adversus omnia adversa animum A. V. precor animitus. Largiatur eadem, qui solus potest, Puer nobis natus, nobis datus, Iesus Christus Immanuel! Salutem plurimam adscribo Rev. Dn. M. Rindero[460] et Dn. Scheurelio[461], qui inclusam suo epistolio epistolam Dantiscum curare non gravabitur.

Ampl. et Excell. Vestrae cliens devotus
Hermannus Thedering.

73. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Heidelbergae. 2. Ian. 1618.

Ornatissimo atque doctissimo Dn. Nicolao Rittershusio SS. LL. cultori solertissimo, amico iucundissimo. Altorff.

Ornatissime Dn. Nicolae, amice multis nominibus carissime!

Pro temporis, quo haec tibi tradetur epistola, diversitate, sit tibi in hoc exordio vel bonus vesper vel bonus cras. Sed nisi me coniectura fallit, prius erit verum. Ergo posterius falsum. Consequentia valet conditione posita. Verum igitur manet verum, sicut erat in principio et nunc et semper. His ita praemissis: Si vales, bene est, ego valeo, iuxta illud vetus: Si vis comedere mecum, os bene fer tecum, man kombt sonst zu kurtz. Scio, quod hoc scias, nec quia de illo dubito, sed quia mos est ita dicendi, dico. Et dico quidem haec talia, quia habemus iam vina candentia bona, sunt nobis mitia poma; non autem nobis tantum, sed et aliis post-rusticis, nachbauren. Nam vinum vinum post Martinum solet esse bonum, et cetera miteinander. Ego quidem mihi persuasi te ad nos cum corpore et anima venturum, quando cum litteris tuis tam diu manes ex neque comitibus tuis aliquando sic dictis (non tamen Palatinis) unum verbulum scribis aut os largiris. Pudeat te, mi Dn. Nicolae, te ita nobis iam posteriora analytica ostendere, cum antea bonus noster socius fueris. Ita hodie fit: qui venit ex oculis, mox etiam ex corde alterius cadit. Das difs das wasser anzünde, schnee verbrenne, der haan hacke, etc. etc. Sed haec non habent multum ad significare; poteris te hic aliquando purgare, nisi materia peccati nimium adhaereat et adhuc recens sit: tum enim diabolice sordere solet, ex medicorum sententia et ipsa experientia. Illud vero non patitur se excusari, quod Θeses tuas de iniuriis mihi nondum miseris; forte a Θeoria ad praxin mox saltare cupis et ipsam iniuriam in me exercere. Nolim te hoc iubere *aut tibi suadere;* Spirae nondum fuisti, quae mihi prope

ad manum iacet et unde ego multa bona frustula ad obviandum tibi sumere possum. Quare si albus es et si non vis in pice haerere, mox mox te purga, sed tamen sine assessorum damno, ne pedes feriens nares offendas. Tantum de hac materia veteri; ad recentem venirem, sed metus est, ne Saalbaderus occurrat et me tecum abripiat. Alia igitur ex aliis bonis viris hauries, doch mufs man nicht zu tieff in die materien kommen. De Cristino tuo illud addo, illum, ubi Sommerus advenerit sive saltem das Vorjahr (der gemeine Mann nennets den Frühlingk), abiturum ad materculam, ut lacte eius recenti melius nutriatur et ollas paternas exhauriat. Ei so frifs! Quod si unam bonam materessam aspexerit et cum ea emptionem-venditionem celebraverit sive contractum innominatum 'do ut des', ibi demum Diabolus erit Abbas, tondebit pecus, si non deglubet; da wirds heifsen, Mutter halt den Hund. Est profecto Iuvenis-Socius, nec deberet adhuc ad priusstationem arripere et post altum tempus habere. Sed ille habet suum caput; abeat in pice, si in proposito constans manserit! Sed ille habet faciles et leves motus; fortassis igitur mens generosa erit. Haec fere per lusum et iocum, somnum et somnium dicta sunto; si quae non bene sonant, adde illis bonam vocem, sed non altam. Hanc enim mihi aut meis rebus iunctam nolo. Iam serio a te peto, ut mihi quam primum rescribas de omnibus, quae mihi significanda arbitraberis. Indica etiam, quanti vendatis Differentias vestras I. U.[462] et an praeter Partitiones feudales plura opuscula Dn. parentis vestri p. m. in 8⁰ sint excusa aut brevi prodibunt[463]. Si Dn. Dan. Pohlus[464] mox ad nos se conferet, trade ei unum exemplar dictarum Differentiarum, ut et comoediam nuperam[465] M. Mauritii, cum Φotinismo[466] secundae editionis correctiori; meum exemplar Dn. Scultetus[467] noster habet et retinet. Nummos pro libellis istis debitos a Dn. Daniele exige; refundam ei hic, quantum erogaverit. Differentiarum I. U. pauca *exemplaria ad* nos pervenerunt et pessimam habuerunt *papyrum; mox* tamen omnia sunt distracta, ut nullum iam

amplius appareat. In iis ut ex aliis Dn. parentis vestri p. m. scriptis a vobis editis viri gravissimi nihil magis quam indices desiderant rerum et verborum memorabilium. De Commentario in Institt.[468] et ad l. 23. ff. de R. I.[469] quid pollicemini? quando publici iuris fient et qua forma? Praeterea si Theses quasdam iuridicas von dieser und jener guten materia bis habes, quae veterum recentiorumque academiae vestrae professorum nomina prae se ferunt (e. g. Donelli, Hübneri[470], Indenii[471], Varelii[472], Petri Wesenbecii[473], Dn. Scipionis[474] et tui Dn. parentis etc.), eas conquisitas cum reliquiis carminum Rhumelii[475] et epistola paraenetica Caselii[476] (cuius in fronte Votorum viaticorum fit mentio) charta una aut altera ceu tegumento munitas et consignatas eidem Polono-Borusso committas rogo, ut una mihi tradantur. Remunerabor his similibus, ubi gratuita sese dederit occasio ad vos scribendi. Collegi huius farinae plurima, mox compingenda. Servabitur in his tui memoria, ut et aliis, quae saepius manibus versare soleo.

Valere hic te iubeo et salvere a Copio, Vöhlino et aliis amicis. Fac sciam, quomodo sese habeat apud vos triga illa artium bonarum. Si ei quadriga alia accederet, hette man die artes alle beisamen und were leicht Magister darin zu werden. Hic Terentius iubet quiescere; dicit enim 'ne quid nimis'. Die Paure(n) möchte(n)s mercke(n), auff gutt fränckisch. Praeterea meus Odontius me vexat[477], ita quidem, ut si ego essem tu, currerem ex omni potestate ad Doct. Rumelium et dicerem ei: Dn. Doctor, cura meum malum Odontium, qui hinc inde vacillat et non fortiter stat; scio te habere bonum et probatum consilium, nisi homines iacent, das soll lügen heissen. Nolo excusare longitudinem huius epistolae, quia apud te omnia habent bonas vias nec habes mihi quidquam pro malo; vel si hoc, schencket mir einen thaler; ist gutt ad novum annum. Et quia huius mentio fit, ecce dem Herren ein glückseeliges newes Jahr, eine jungfraw und strauss im haar, *ut ille aliquando aiebat.* Si vobis ista tractatio non bene

sapit, ei! so esset, was euch schmecket, da habt ihrs zusamen. Mihi non aliter venerunt in buccam; in mente enim nunquam fuerunt omnia. Finis; merckts woll.

Heidelbergae, 2. Ianuarii ao. 1618.

Tuus, quem ex manu nosti, H. T. D.

74. H. Thederingus G. Remo.

Heidelbergae. 23. Apr. 1618.

. . Dn. Georgio Remo . . inclyto senatui Noribergensis Reip. a Consiliis intimis . . Nürnbergk. Aufm Dillinghofe. Cito, cito.

Amplissimo et consultissimo Dn. Doct. Remo, Domino et Fautori meo pl. colendo, Salutem et Observantiam.

Alteram Ampl. Vestrae epistolam de conditione Augustana[478] agentem 21. Apr. demum accepi: illam tertia haec mea eiusdem argumenti confestim insequitur, non quod de prioribus quasi non recte traditis plane desperem, id enim tempus exaratarum ab utraque parte litterarum minime patitur, sed quia non levia quaedam, ante incognita, responsum hocce tertiatum efflagitare vel maxime visa fuere. De tempore nunc agitur inprimis, quo Pragae subsistendum. Biennium adsignatur. Id vero longum nimis mihi videtur, cui aetas, patria, amici tantum spatium uno illo in loco commorandi vix ac ne vix quidem indulgebunt. Polonice loqui scio, Bohemice loquentes magna parte intelligo; loqui ea lingua parum curo, forte et parum olim iuvaret. Sed an non annus adolescenti ad percipiendum illud idioma sufficeret, ut eo maturius Italos, Gallos, Belgas, Britannos videre, audire, discenda ab illis apud illos haurire possemus? Aetas forte sola obstabit, quae ut me properare magis, ita adolescentem morari paullum volet. Pragam non abhorreo, sed moram ibi faciendam. Insuper metus est, si maxime in sesquiannum aut ipsum etiam *biennium consentirem*, quo ibi haerendum scribitur, ne *adolescens diutius* adhuc ibi sit detinendus. Vix enim, ut

opinor, aetatis anno 14. ad exteros mox ablegabitur. Ergone molestias et curas, quae in illius tenellae aetatis institutione et regimine difficillimae esse adsolent, quasi pretiosissimi temporis prodigus, frustra h. e. sine ulteriori peregrinatione (qui scopus mihi primarius est) ego devorassem et insumpsissem? Accedit, quod religionis negotium futuri Maecenatis animum facile immutare posse videatur ac a me abalienare. Dissimulare eatenus didici, quatenus pietati et conscientiae non fit praeiudicium. Contrariam confessionem possum non oppugnare, controversiis abstinere, contiones Lutheranorum sedulo (quod et Altorphii factum) frequentare; sed mensae ipsorum sanctae communicare non possum. Si igitur hac abstinerem diutius, an non hinc sinistre suspicandi occasionem hic ille arriperet? Quae de salario et veste antehac scripsi, non videntur modum excedere, appensa illa adolescentis aetate, illa mea (quam spopondi et noti omnes notam habent) fide et industria. Quicquid tamen hac in re ab A. V. conclusum fuerit, nihil me offendet, modo desiderium meum in reliquis Dn. Consil. Caesar. non offenderit. Tandem eo inclinat animus: si Ampl. Vestrae spes sit, oblatum iri hoc semestri aestivo similem aliquam conditionem, conditionibus faciendae tantae in Germ. aut Boh. morae carentem, malle me eam, etiamsi salarii respectu forte minus lautam, expectare, quam huic morem gerere. Sin vero secus, ad annum cum hoc adolescente Pragae me duraturum obligarer, modo post vel cum eodem (si vota Dnn. parentum arriserint) ad exteros abeundum esset vel integrum mihi maneret, ut de alia conditione apud proceres Bohemiae mihi ipsi prospicerem, quo finem meum citius assequerer. Rationes deliberatae huius meae cum Deo voluntatis istas habeo: etiam Pragae Deos futuros, ibidem quoque me per illum annum in litteris et linguis proficere posse, sine omni meo sumptu, aliquo etiam compendio, lustrata insuper sede Caesarea, parata magnorum ibi virorum aliqua familiaritate et notitia. Quid igitur impediret, *quominus* Heidelbergam per annum ferme iam

a me inhabitatam[479] Praga commutarem? Istae tamen cogitationes meae non sunt tanti, ut meliora monentem Ampl. Vestram audire recusem, quin adhuc Vestrae A. arbitrio et consilio me totum hic permitto. Vester sum, sequar, quo consultum iudicabitur, modo sumptus itineris eo faciendi et mora paucarum septimanarum, intra quas affinem meum cum nummis et litteris domesticorum expecto, mihi a Magnif. Dn. Consiliario Caes. non denegentur. Utut res divina disponente providentia cadant, manebit (iure)

alta mente repostum
Iudicium Magni atque haec tanta volentia Remi.

Cui debere me, mea omnia non nisi cum vita ipsa L. V. Q. desinam. Vale et salve, Vir Amplissime, Patrone Summe, immo Parens venerande.

Dab. Heidelbergae, 23. April. ao. o. r. 1618.

.. Hermann. Thedering. Dantiscanus.

Rescribo A.Vestrae salutem a salutatis, praeterquam a.D.D. Dionys. Gothofredo, qui recta a nundinis Francofurt. Lutetiam profectus est. Eiusdem F. Iacobus reversus quidem paucos adhuc dies nobiscum exegit, sed tamen non multo post Genevam concessit, ut suo Theod. Cod.[480] idoneum typographum quaerat. Princeps noster elector Heilbrunnae in conventu principum modo agit, inde Ratisponam ad comitia moturus. Si literarum mearum, quibus voluntatem meam aperio, ad futurum Maecenatem transmissione opus fuerit, quod haud obscure ex novissimis Vestris colligo, ecce hic inclusas alias et loci et religionis periculosa mentione carentes. De quibus quicquid A. V. statuerit, h. e. sive transmiserit sive Sibi retinuerit, idem et mihi probabitur. Doleo equidem me negotium hisce A. V. plus satis occupatae maius facessere, sed aliter ista expediri *nequeunt.*

75. H. Thederingus G. Remo.

Aug. Vindel. 21. Sept. 1618.

.. Georgio Remo .. Nürnberg. Aufm Dillinghoff. Cito, cito.

Ampliss. et Consultiss. D. D. Reme, Fautor et Patrone observanter colende!

S. P. Iam tandem illuc ibo, quo vota me diu duxerunt; sequar, quo me fata trahunt. Cras summo mane iter Genevense ingrediemur: utinam felicibus et faustis avibus! Annuat precibus nostris vocatus summus Iova; ducat nos adque optatum locum perducat; valetudinem nostram tueatur et vitam, ut grates ipsi perennes dicamus, amen! De dolio recte huc curato Ampl. Vestrae denuo maximas ago gratias; rescripsi per eundem aurigam eodem, quo Vestras acceperam die. Fratrem A. V., Dn. Dan. Rhemum similiter tum quaesivi, sed domi illum non offendi. Redii ad eundem 18. Septembr. die, h. 2. pomerid. illique residuum pecuniae pro vectura dolii mei ab A. V. expositae restitui, quantum A. V. in litteris adsignarat, h. e. 1 flor. et 42 c. Via haec mihi visa est commodissima et tutissima, quando praesertim A. V. illam quoque non displicere cognoveram. Manum confessoriam numeratae Ei pecuniae ab Eo non requisivi; frater A. V. est veneranda canitie suspiciendus, cuique etiam in maioribus, nedum in re levicula, fides sine instrumento fidei adhiberi debuit. Spero Eum de restitutis nummis Ampl. Vestram iam certiorem fecisse. De collybo oblato prius repeto iam de eo in Galliis nobis degentibus optime esse prospectum; pro oblato studio et promptissima voluntate A. V. Herus meus[481] iuxta mecum paratissima officia pollicetur et oblata occasione praestabit. Si ulterius forte pergendum nobis aliquando fuerit ad Italos, Belgas, Anglos, ibi maior ad A. V. recurrendi et Dn. Caesarem Calandrinum[482] compellandi urgebit necessitas. De statu meo, simulac Genevam attigero, ad A. V. perscribam lubens meritoque. Debeo hoc maximis Vestris in me meritis, debeo pietati, debeo ipsi gratitudini. Vota *vialia praeter ea,* quae in litteris iam saepius sunt ex-

pressa quaeque Deus rata firma esse iubeat, nulla alia ab A. V. petere aut sperare debuimus. Quis enim nisi impudentissimus occupatissimo occupationem adderet? Etiam voluntas in tanto negotiorum concursu nimia videri possit. Sed iam deficit tempus subiiciendi reliqua, quae litterarum A. V. pondus attingunt. Desinam igitur hic et novam telam Genevae ordiar. Quod ut nobis salvis et incolumibus quamprimum liceat, Deum O. M. ardentibus votis sollicitabo, quibus V. A. aliorumque nostri studiosissimorum consonatura nullus dubito. Vale — Salve, mi Clariss. Dn. D. Reme, Fautor et Patrone Parentis instar perpetuum honorande. Salutem quoque A. V. plurimam et officiosissimam nuntio a Nobiliss. Dn. Maecenate meo Mar.-Conr. a Rehling.

Dab. Augustae Vindelic., pridie profectionis Gallicanae, h. e. 21. Sept. ao. 1618.

Ampl. et Excell. Vestrae observ.
Hermannus Thederingus Dantiscanus.

Inclusa epistolia duo quaeso, ne grave sit ad sua loca curare. Quod domum et patriam meam spectat, Dn. Ian.-Christoph. Scheurelius vel Dn. Marc. Frid. Pfauth[483] recte curabit; alterum oblata occasione Myrtilletum ablegari poterit. B. V.

76. H. Thederingus G. Remo.

Genevae. 29. Dec. 1618.

.. Georgio Remo .. Senatus Noriberg. Consiliario intimo primario .. Nürnbergk. Aufm Dillinghofe.

Nobilissime atque Amplissime Dn. Doctor Reme,
Fautor et Patrone aetatem colende!

Quod Summus bene vertat Iova, denuo peregrinationis nostrae in hac vita annum absolvimus adque novum prope accessimus! Hunc Ampl. Vestrae faustum felicissimumque *ab Immanuele* nobis nato, nobis dato animitus precor et *exopto. Nec hoc* solum, sed etiam ut insequentes annos

plurimos ad Dei gloriam, Reipubl. Christianae commodum et bonorum omnium solatium Ampl. Vestrae attingere et superare liceat. Amen! Ceterum a. d. 22. Decembr. optato mihi Vestrae meorumque advenerunt litterae, quibus hic respondeo. Spero non denegabunt oblatam operam Dn. Pfauth*) et Dn. Scheurelius, quibus salutem plurimam dico, illasque suis inclusas aut coniunctas Dantiscum recte curabunt; habebunt me vicissim, si qua dabitur, ad quaevis officia paratissimum. De statu Reipubl. Genevensis memini me proximis egisse, quibus illud adiiciendum, formam regiminis esse democraticam, cum populus hic eligendi constituendique summi magistratus potestatem habeat et ad illum provocationes in causis cum civilibus tum criminalibus concedantur. Aristocratiam tamen etiam sapit, quod in strictum concilium XXV senatorum non eligantur nisi viri virtute et prudentia graves quique a parentibus suis ad minimum iure civitatis fuerint gavisi. Censura in transgressores legum et statutorum rigida admodum est tam civilis quam ecclesiastica, adeo ut nec chartis ludere nec ultra concessum modum vestiri nec vino ad ebrietatem usque repleri sine crimine cuiquam liceat. Quin et hoc nomine quasdam ab usu S. Coenae nuperrime suspensas memini, quod choreas in nuptiis Dni. Gothofredi ante mensem exercuissent, a Germanis incitatae et rogatae. Libertatem et privilegia civitatis late deducit Ampliss. Dn. Saracenus syndicus in libro suo, quem inscripsit: Le Citadin de Geneve[484]. Liberam ab antiquo imperii urbem fuisse evidens signum esse aiunt aquilam illam bicipitem sculpturae perantiquae, quae in muro exteriori Aedis Petrinae, Apollini olim consecratae[485], etiamnum adparet. Unde nec episcopis suis nisi in spiritualibus unquam paruit, qui levatis supra caput digitis iurare quondam coacti sunt, antequam reciperentur, se immunitatibus pop. Genevensis nolle quidquam derogare, sed civitatis custodiam ipsis incolis relicturos nec sine 4

*) *Cod. Dnn. Pfauti*; v. prior. epist.

prudentium et syndicorum auctoritate de saecularibus pronuntiaturos. Postquam vero ultimus eorum episcopus[486] ao. 1535 sponte aufugisset, stupri civicae filiae nefarie illati poenam metuens, ad libertatem politicam adiunxerunt quoque spiritualem, foedere cum Bernensibus et Tigurinis mox inito domoque episcopali in obaeratorum et sceleratorum habitaculum conversa. Sed ad academiam nostram pergo, quam brevi illustriorem reddet novum illud iurisprudentiae lumen Dn. Iacobus Gothofredus, quamprimum scilicet ex novis curis domesticis se paululum extricaverit et magistratuum officiorumque publicorum permutatio imminens facta fuerit. Interea et ad disputationes privatas et lectiones iuris ac historiarum publicas, si utrumque ei demandetur, strenue se parat. Certonis Genevam[487] recte traditam gaudet Excellentiss. Dn. D. Augerius; gratiarum actionem nullam tantillas chartas mereri, immo in maioribus suam se observantiam et officia omnia A. V. debere profitetur. Dn. Caspar Laurentius[488], de quo nuper quaerebatur, graecae linguae professorem agit, vir sane doctissimus et theologicis scriptis quamplurimis clarus et adhuc bene in summa etiam senectute habens. Muffelii fratres una cum Dn. Xylandro intra sesquimensem ipsam Galliam adibunt et perlustrabunt, in ipsa peregrinatione linguae istius perfectiorem acquisitionem sibi promittentes. De novis Gallicis addo paucula, quae a Dn. Turretino[489] nuperrime mihi relata sunt; scilicet matrimonium inter Sabaudiae principem iun. et Galliarum regis sororem[490] hactenus agitatum et deliberatum iam ratum haberi; simultates cum Anglo mitigari et placide componi inque abolitionem istarum palam faciendam nova consilia fieri de altera Galliarum regis sorore et ipsa nubili[491] principi Anglo elocanda; denique quendam Gaudesinum, qui ex infima sorte propter revelatas Ancorani fraudes ad summos honores aulicos ascenderat, a Iesuitis, quos ipse in academiam Parisiensem intruserat, iam nescio cuius facinoris insimulatum gratia *regis plane* excidisse adeoque remotum esse. Haec habui, *quae hac vice* volui. Quod reliquum est, Vestro me favori

et amori pristino officiosissime commendo. Salutant Ampl. Vestram viri Excellentiss. et addictissimi, Ampliss. Dn. Saracenus, Rev. Dn. Turretinus, Clariss. noster Gothofredus et Experientiss. D. D. Augerius. A me quoque salvere velim Altorfinos nostros, D. Dinnerum[492], D. Ungepaur[493], D. Noeslerum[494] (quam vero ille duxit?), M. Queccium[495], Ludwellum[496] et Nochium, cuius fortunam doleo. Vale vale ac salve plurimum, mi Opt. Max. Patrone ac Fautor, Reme iuris consultissime.

Dabam Genevae, 29. Decembr. ao. occidente 1618.

Nobiliss. Amplitud. Vestrae observantissimus
Hermannus Thedering.

P. S. Quid vero de Cleselio et Iessenio[497] captivis inauditur? et num adhuc elector Saxoniae in negotio Bohemorum quiescit? Nihil de his a longo tempore ad nos fuit relatum. Quod Sabaudus aliquid contra Genevenses denuo molitus dicitur, nihil est.

77. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Salmurii. 9. Ian. 1621.

A Monsieur Mons.r Rittershusius, Gentilhomme Allemand à Bourges. Chez Mons. Gruchet.

Salutem officiosam et amorem reciprocum! Quas primas Avarico Biturigum sub finem anni denati ad me dedisti, amicorum candidissime Dn. Rittershusi, ante triduum recte accepi. Te in via morbo correptum doleo; magis tamen gaudeo tibique gratulor de mortis periculo evitato, quod ab eo tibi imminuisse refers, qui servare debebat. Sic multa tulit fecitque aliis Germanus in oris, forsan alibi passus graviora; sed et haec meminisse iuvabit. Laetor te salvum tandem et incolumem ad praefixum hibernae peregrinationis scopum pervenisse eumque tibi, si ex animo loqueris, non displicere. Quae victus ratio sit, non indicas; scire tamen et illud vellem, quo satisfacere aliis possem, qui hac de re saepius percontantur. Quae Flexiis

(à la Fleche) et alibi ultra illa, quae Sincerus[498] parum sincere saepe commemorat, memoratu digna videris ac observaris, ex te audire et cognoscere placeret, si absque molestia tua fieri posset. Unica epistola Laconica omnia ista expedierit, quae me exsaturare queant. Si forte Parisiis aut alibi sors nos bona denuo coniunxerit, consignata nostra *ἀξιοθέατα* et *ἀξιομνημόνευτα* in unum conferre possemus: Möchte ein jeder draufs nehmen, was ihm am besten schmeckte. Interim patientia vincat omnia, bifs es besser wirdt. Nova, quae a me petis, talia omnino sunt, qualia fama, malum, quo non aliud velocius saepe et mendacius ullum, apud Vos exposuit. Non dubito, quin interea res tota, prouti gesta est, ex variis locis ad Vos delata sit. Ne tamen et hic tuo voto deessem, *ὡς ἐν τύπῳ* transscripsi hic primaria infaustae istius cladis[499] capita, prouti mihi ab Hero meo superiori mense transmissa sunt. Tu officium boni consule, Bohemis fere oppressis pacem ac libertatem precare, quam unice quaerunt et exoptant. Salutem Dn. Schenckio[500] ac tibi una mecum Marcus meus a Rehlingen transscribit plurimam nec non Dnn. Danis vobiscum agentibus; quin et anni istius, quem nuper adeo ingressi sumus, felicem progressum et exitum ex animo Vobis precamur, cum voto: AntIChrIstI seDes fIat rVInae proXIMa!

Salmurii, 9. Ianuarii (1621), ex aedibus Dn. Granjoni.

Tuus idem, qui semper, Hermannus Thederingus.

Huic epistolae additum est: 'Extract oder Quinta essentia vieler Zeitungen aufs Böhmen, Schlesien, Mähren, Ungern, Pohlen, Niederlandt etc.'

78. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 24. Ian. 1624.

.. Nicolao Rittershusio, iurium candidato .. Königsberg. *Auff der Wage* im Kneiphove.

Salutem et officia debita! Quamprimum Te, Praestantiss.

et Doctissime Dn. Nicolae, amice optime, apud Regiomontanos nostros commorari accepi, saepius in mentem venit optare Te ibidem videre et alloqui, quo veteris nostrae coniunctionis vinculum denuo quasi firmaretur arctiusque constringeretur. Sed variis publicis privatisque impedimentis hactenus obiectis praepeditus desiderio meo satisfacere non potui, adeo ut tandem litteris ad Te invisere visum fuerit, cum corpore nondum liceat. Qua hactenus fortuna et rerum successu usus sis, scire gestio. Ex me si idem quaeras, ita habe: me lustrata cum Nobiliss. Dn. Marco a Rehlingen universa Gallia Augustam Vindel. rediisse et iam tum reditum in patriam cogitantem, fratrem tuum Georgium[501] mihi substituisse[502]. Sed statu Germaniae tum adhuc valde turbato nec ulla viarum, per quas eundum erat, securitate apparente, tempori inservire coactus in Italiam rogante ita Magnif. Dno. Maecenate excurri, non ut ibi diu subsisterem, sed amicos veteres saltem comitarer, donec visis potioribus Italiae urbibus reditum ad meos, quacunque pateret, maturarem. Sed ecce vix Pisis subsederamus et male fratri tuo cum aere et victu Italico convenire coepit. Quare lustratis postmodum adhuc Lucca, Senis et Roma domum ipse repetere instituit; ego vero exitum inde in Borussiam per superiorem Germaniam securum nullum habens perrexi lustrandae universae Italiae reliquos ab eius discessu menses tribuere sicque denuo Augustam superiore aestate redii. Magno illic honore affectus, humanissime habitus et cum contestatione summae benevolentiae tandem dimissus ad Noribergenses iter institui, inde Francofurtum ad Moenum me contuli, post lustratis nobilioribus ad Rhenum urbibus et propugnaculis, Gelriam, potiores Belgii provincias, utramque Phrysiam, ad haec primarias civitates Anseaticas in inferiore Saxonia adii, quibus omnibus quantum sufficiebat visis consideratisque per Pomeraniam salvus tandem et incolumis ante bimestre circiter huc sum delatus, ubi caelebs adhuc vivo et privatus, quo publicas illas et privatas calamitates, quae me post decennalem absentiam magno numero hic exce-

perunt, aequiore animo ferre et post ista nubila Phoebum sereniorem expectare queam. Nolim enim his turbulentis et caris temporibus ullis me vinculis astringi, ni aliter Deo visum fuerit. Inaudita nos hic vexat annonae caritas nec vanus est pestis et motuum bellicorum metus. Monetarium malum multos pessumdedit et mira metamorphωsi Croesos in Iros, hos in illos transmutavit. O tempora! quae si ita his in locis calamitosa esse perrexerint, forte iubilaeum[503] imminentem alibi celebrabo. Satis de his. Illud nunc addo me ab Humaniss. et Nob. Dn. Philippo Hainhofero[504] rogatum, ut in Nob. Iuuonis Sebastiani a Perband[505] statum inquirerem, qui prope Regiomontum (Zu Nauten[506], pago an oppido, quis referet?) apud matrem viduam habitare dicitur. Is dato cheιrographo, quod penes me est, 16. Imperiales mutuos a Dn. Hainhofero ante novennium accepit necdum restituit. Rogatus itaque sum debitum illud exigere in gratiam creditoris, fautoris et amici mei summi. Scripsi per civem Regiom. ad dictum Perbandum; responsum nondum tuli; vivus sit an mortuus, ignoro. Tu, quaeso, inquire apud cives Regiomonti ipsi cognomines, quid respondere Dn. Hainhofero debeam. Adde quaedam de statu acad. vestrae et si quas habes theses a candidatis vestris nuper propositas, commoda occasione vel per hunc ipsum affinem meum mihi transmitte. Professorum nomina et munia, si grave non fuerit, enumera. Quibus subiice, si quae habebis alia, quae me scire velle opinaberis. Iam vale et me studiosissimum redama.

Dab. raptim Dantisci, in der Frawengassen, bei der Fr. Israel Fofsschen[507], a. d. 24. Ianuarii ao. 1624, quem Tibi felicem-faustum adprecatur

Tuus Hermannus Tederingus.

Salutem plurimam a Dnn. Copio et Nochio.

79. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 25. Mart. 1624.

.. Nicolao Rittershusio I. U. C., Polyhistori ac Polyglotto eximio .. Königsberg.

Praestantissime et doctissime Dn. Nic. Rittershusi, Domine et Amice amate-amande ac colende.

S. P. Si omne trinum perfectum est, ut tritum habet diverbium, perfecto ego litterarum tuarum numero hac una vice nunc respondere dicar. Neque negligentiae ullius aut imminutae voluntatis notam propterea metuo, cum Tu ipse hanc legem mihi posueris, ut post binas simul traditas adhuc alias a Te expectarem, quibus prioris epistolae meae singulis capitibus accuratius satisfaceres. Quare si culpa est tam diu tacuisse, in Te illa merito reiicietur, cui in imperata mora morem gerere ius fasque duxi. Clariss. M. Duntium[508] virtute ac humanitate sua omnibus gratum et commendatum iuvi, quantum potui; ad pinacothecam vero sive exoticotameιon Magnifici quondam Praecos. nostri Schachmanni[509] aditus tum non patebat, quod et sine ordine ac incomptum illud iaceret et, qui eius curam gerunt, urbe abessent; apud Dn. viduam vero et filium quid ego possem, qui hominum notitia per decennalem absentiam meam fere excidi, ut nova apud omnes insinuatione opus esse videatur. Et quid viduas ego nossem, qui virgines sectari animum induxi, Gallorum consilio, qui suadent quaerendam (praesertim litteratis) une maison faicte et une femme à faire. Propositum tuum loca exotica, inprimis Italiam, cum nobili quodam adeundi laude dignissimum iudico; meretur enim id virtus tua et doctrina, ne illa Europae pars sola Te gratum hospitem non experiatur, quae prae aliis Paradisus Mundi dici consuevit et revera est, si dextre inhabitetur. Sed cum ibi sumptus maiores etiam quam in Galliis requirantur, caute hic peregrinantibus agendum deque eo Nobilis Tui mater et fratres admonendi, ne eandem ab illis aliquando gratiam reportes, *quam* a Schenckianis Tibi relatam narras. Mirari

et dolere vices illas tuas satis non potui, quod pro immensis molestiis ac periculis nil nisi ingratas gratias retuleris. Ego divino munere contraria omnia sum expertus, humanissime scilicet a Magnif. Dn. Consiliario Caesar. Dn. Marco-Conr. a Rehlingen his exceptus, honorifice semper habitus et cum contestatione summae et propensissimae in me voluntatis tandem dimissus. Quaecunque in filii ipsius utilitatem expendi, grata ac rata omnia habuit, immo miratus est mediocribus et tolerabilibus istis sumptibus universam Galliam et Italiam per integrum ferme quinquennium a nobis inhabitari et perlustrari potuisse. Causam aequioris istius iudicii coniicio in propriam viri undiquaque nobilissimi experientiam, qui Ipsus in iuventute Europam peragravit et quanti itinera sibi constiterint, prope adhuc meminisse potuit. Tanti refert, in quos homines incidas, ut officii promissa et praestita fides agnoscatur et dignis praemiis afficiatur. Ceterum quod te patriae Tuae Tuorumque statu a me erudiri cupis, equidem lubens in eo votis tuis annuerem, si quae certa inde haberem. Iam vero Noribergam delatus in curanda huc supellectili mea libraria et alia nec non quaerendis futuri itineris Batavici comitibus tantopere per octiduum laboravi, ut Altorfium excurrere non licuerit. Litteras tamen a fratre tuo D. Georgio ibi accepi, quibus amicos omnes salvos et Se inter candidatos U. I. nomen suum iam professum[510] innuebat. Quare nullus dubito, quin ad praescriptum tempus, h. e. festum Martini nuperum summos in iure nostro honores una cum aliis obtinuerit. Ex quo hic vivo, nullas a Dn. D. Remo lineas vidi, quod cum a more ipsius hactenus fuerit alienissimum, suspicor virum optimum morbo aliquo detineri. Quod restat, summopere a Te peto negotium Nob. et Ampliss. Dn. Hainhoferi curae tibi esse patiaris in exigendo antiquo nomine, quod Sebast. a Perband apud eum contraxit, vel si id praestare non potes, saltem expisceris, ubinam latitet cum matre et fratribus, si quos habet. Cheιρographo locum Nauten *adscriptum video*; sed nemo hic est, qui nomen illud vel

fando unquam acceperit. Disputationes Vestras inaugurales commodo tuo transmittes et de futuri istius actus publici tempore certiora addes; Copius enim et Nochius nihil sibi de eo constare adserunt. Vale et salve a iam dictis amicis nostris meque Tuum esse perpetuo credas.

Dab. Dantisci, 25. Martii a. o. r. 1624.

Hermannus Tedering.

80. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 21. Maii 1624.

.. Nic. Rittershusio Icto .. Koenigsberg. Aufm Kneiphove in der lang Gassen bei der Fr. Marten Römerschen abzugeben.

Praestantissime .. Nic. Rittershusi .. amice plurimum colende!

Sal. et off. Quas Lobehnae[511] inter nobilem rusticamque amoenitatem superiori mense ad me dedisti, ante tres septimanas recte mihi hic traditae sunt. His nunc eunte ad Vos negotiorum suorum causa hoc meo cognato respondere placuit, non quod auribus oculisve tuis dignum quid referre haberem, sed ut officio saltem meo facerem satis, quod a multis retro annis amica tua conversatione Tibi devinxisti. Non succedere profectionem tuam in Italiam eo magis doleo, quo magis appropinquat annus iubilaeus, qui rara multa promittit visitatoribus urbis antiquae et adhuc per orbem celeberrimae, quamvis illius antiquae valde dissimilis. Forte meliori fortunae Deus te reservat, ne apud parcos parentes denuo malam gratiam ineas, qui omnia alia virtute et dexteritate tua mereris. Ceterum hisce diebus gratissimas diuque desideratas ab Ampl. Dn. D. Remo Fautore nostro magno accepi, quibus significat vivere et valere Cl. M. Queccium cum reliquis Altorfinis, quem tu ad patres abiisse persuasus eras. Frater quoque tuus Dn. D. Georgius recte habet, cui nuperas tuas transmisi, rogante ita Dn. Nochio, cui occasio *curandi illas* nulla suppetebat. In dies iam Nori-

berga expecto orationes in actu promulgationis privilegiorum Caesar. et promotione Dd. quinque habitas[512], quae vix effugient censuram Aristarchorum Ingolstadiensium, qui id unum neque aliud agere dicuntur quam ut Evangelio addictos vexent et exagitent, id quod Lavatero Tigurino theologo[513] nuper accidit, contra quem virulentissimam chartam ediderunt. Nondum omnium dierum vespera occidit; forte poenas aliquando dabunt impietatis et atrocitatis suae isti, qui nunc impune pusillum Christi gregem affligunt. Motus novi a mussitantibus Ungaris metuuntur, qui pacem quaerunt nec tamen vel aequissimis conditionibus ab Imperatore hactenus impetrare potuerunt. Scribunt Dacum iam XII CIↃ armatorum praemisisse in Marcomannos, qui si serio rem aget et ex altera parte Anglus respondeat, fortassis alia rerum erit facies hoc anno. Nam certum est militem Caesaris ob stipendia non repraesentata contra Dacum duci non posse aut si ducantur, infelicem futuram venationem, quae invitis et reluctantibus canibus suscipitur. De statu nostro ex aliis uberius cognosces; a Sueco nobis metuimus; hinc cives lustrantur, munitur novis aggeribus maris ostium eiusque propugnaculum, contiones e preces poenitentiales habentur, omnia ad devotionem diriguntur. Recte quidem ista omnia; sed quid iuvant praesidia foris, si intus dissidia regnum obtineant, si luxus et fastus, antiqua mala, dominentur? Quid de publico actu apud Vos celebrando sperandum sit quidve explorati habeas de delicato isto Nob. Dn. Hainhoferi debitore Perbando, ex tuis aveo cognoscere, ut respondere possim votis et precibus viri optimi et ob pinacothecam suam passim celebris. Restat, ut amorem tuum perpetuum mihi conservari exoptem, cui paria me facturum nullus dubites. Vale et salve a me et Dn. Copio ac Nochio, amicis nostris.

Dantisci, raptim, 21. Maii a. 1624.

Tuus ex aβc Hermannus Tederingus.

81. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 23. Iul. 1624.

.. Nic. Rittershusio I. V. C. .. Koenigsberg ..

S. Bimestre elapsum est, ex quo ad Te non dedi, Praestantissime Dn. Nicolae, amice inprimis dilecte. Causam silentii istius in Te merito reiicio, qui ne occasione quidem nundinarum Vestrarum responsi quidquam ad meas dedisti, quod maxime expectaram et desideraram. Quid tuas remoretur, non licet coniicere. Uxorem Te duxisse non puto; invitasses enim procul dubio amicos tuos, quos hic habes, ad nuptiarum solennia. Aegrotare Te non spero, qui superatis tot itinerum molestiis ferre omnia et perferre, immo et superare, quae adversa homini accidere possunt, succi ipse plenus didicisti. Nec Musis Te adeo immortuum puto, ut revocare gradum et ad litterarum promissarum officium redire nequeas. Restat ergo existimem Te ruri inter amoenitates tantas versari, quae nostri Te ad tempus reddant immemorem. Sed ut illas Tibi non invideo, ita vellem tantillum temporis amicis impenderes, quo votis et expectationi ipsorum satisfieret. Scin quid dicam? Nobiliss. Dn. Hainhoferi negotium urgere Te velim, si fieri possit; saepius enim hoc nomine ab ipso interpellor, cui etiam spem certam feci me tuo munere id effecturum, ut vel constare ipsi ad minimum possit, an et ubi vivat cum suis morosus ille debitor Sebast. a Perband et quid ab eo eiusve heredibus sperare habeat. Age igitur, quid explorati hac de re habeas, significa per hosce fautores amicos meos, qui visendae urbis vestrae per octiduum circiter Regiomonti subsistent. A Nob. et Cl. Dn. D. Remo diu est, quod nullas accepi; de Altorphinis ergo nostris nihil referre habeo. Dn. Copius et Nochius vivunt atque valent et Te salutant plurimum. Grassari hic pestis incipit, a qua qui sibi timet, fugiundum statuet; ego me praesidio divino satis tutum arbitror ideoque exitum laetiorem hic praestolabor. Interea tu vive optime et salve plur.

a Tuo *omni affectu* Hermanno Tederingo.

Dat. raptim Dantisci 23. Iulii a. 1624.

82. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 28. Sept. 1624.

.. Nic. Rittershusio Icto, Polyhistori, Polyglotto ac Polytropo eximio .. Koenigsberg.

.. Dn. Nicolae, amice plurimum colende!

Sal. et off. Ante hos 14 dies et quod excurrit, respondi ultimis tuis, quae disputationes inaugurales annexas habebant. Quin recte illas acceperis amoris mei lineas, non sinit me dubitare familiaris et civis mei spectata probitas ac fides, cui curandarum illarum munus dederam. Nunc has ferente ita occasione plane inopinata superaddo, quo quid in negotio Hainhoferiano perfeceris, significare maturius possis; brevi enim civis hic meus reditum ad nos parabit. Ne autem inanes me literas obsignasse conquerendi causam habeas, ecce significo, quid nuperrime Ampliss. D. D. Remus noster ad me perscripserit. Refert magnum Philip. Camerarium IC., Horar. Subsecivar.[514] scriptorem, X. Cal. Quinctil. ad coelites migrasse, cuius vestigia tribus septimanis post secutus sit D. Hieronym. Fezerus[515]. Tuas fratri Georgio D. transmisit Werthemium, ubi a paucis mensibus agit Consiliarium Perillustr. Comitum a Loewenstein in Franconia, luculento admodum stipendio ad hoc munus pertractus. Quem fortunatum honorem et honoratam fortunam ex animo ipsi gratulemur et gaudeamus nostrisque exantlatis curis ac laboribus simile aliquod praemium expectemus. Messes circa Noribergam et in vicinis locis fuerunt uberrimae; tanta ibidem nascitur vini copia, quam doliis non excipere habebunt vinitores, prout spondent vineae. At pretia rerum nil remittere audio idque per inexsaturabilem avarorum mortalium habendi cupiditatem. In Palatinatu superiore aedes parochiales salvae mansere civibus; Ambergae duo primarii nominis consiliarii Maxaemyliani diem suum obiere sicque Deus coercet Boicorum animos, ne mutare quid possint in religione, quantumvis id appetant. In Bohemia vero, Moravia et Austria persecutio perennat; duris ac diris modis pelluntur Eccle-

siastae, auditores vero emunguntur capitationibus et vectigalibus exhauriuntur. Tillius Hassiam, Veteraviam et vicina loca evertit funditus, dum militi eius omnia licent. Bassa Budensis cum 3 aliis Bassis impressionem fecere in Styriam, exurentes evastantes vicos oppida arces. Gabor, Daciae princeps, instructissimum habet exercitum, quem haud frustra alet. Regis Pol. ὁ πρωτοτόκος mense superiore Augusti Augustae Vind. et Noribergae fuit, inde Bruxellas contendit[516]: hat H. Hainhofern ein stück Agtstein verehrt, darin ein gantzer Eidex. Professores Altorfini valent omnes, etiam tuus Queccius. Plura nec sunt nec licet per amicum, qui in procinctu est. Tu igitur hisce vale et favere perge

Tuo Hermanno Tederingo.

Dab. raptim Dantisci, prid. d. Michaelis a. C. 1624.

83. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 26. Oct. 1624.

.. Nicolao Rittershusio IC. in Academia Prutena p. t. commoranti .. Koenigsberg ..

Praestantissime et Doctissime Dn. Nicolae, amice plurimum honorande!

Sal. et off. Tardus es, ne quid dicam gravius, in scribendo, immo respondendo ad meas binas, quas intra bimestre ad Te dedi, per amicos, qui eas recte (sat scio) curarunt. Quid tuas remoretur, ignoro; rariores quidem nunc sunt scribendi occasiones, sed cupidis non plane nullae. Clariss. Dn. Dan. Becker[517] med. l. vestrae academiae (ni fallor) professor, civis et vicinus quondam meus, lubens tuas cum suis ad me traiecisset. Idem expectarem quoque a Nob. Dn. N. Langenow, qui cum inspectore suo Dn. Schmedorpio recens ad Vos accessit et ad suos hic crebrius literis invisit. (Ad marginem:) Die Churf. Regirung zu Königsberg schreibet auch zum öfftern an die Churf. Consiliarios und Agenten hie residirende: dabei were etwan auch ein Schreiben mit unterzubringen. Quod me urget, illud est, *non posse me* Nobiliss. atque Ampliss. Dn. Hainhofero

respondere, antequam constet, quid Tu ibi in causa ipsius peregeris quidve responsi a Sebast. Perbando tuleris quidve explorati de moroso illo debitore habeas. Quare maiorem in modum a te peto, ne me diutius hac in re suspensum teneas, sed in amici gratiam tandem certiorem me de omnibus facias, quae me scire expedit. Quomodo Altorphini tui vivant ac valeant, proximis meis (si recte memini) aperui. Frater tuus luculento stipendio invitatus Consiliarii munus obit apud Perillust. Comites a Loewenstein in Franconia Werthemii. Magnus ille Philip. Camerarius e vivis excessit X. Cal. Quinct. st. Iul. Tillius movit copias et invasit Marchionatum Badensem, occupatis Durlachio, Pforzemio et oppidis, pagis, arcibus omnibus; iam de Argentorato agitur, cui Caesar variis de causis irascitur. Metuunt obsidionem cives et senatus Argent. Leopoldus urget opus, qui episcopatum in manus filii Caesaris resignavit natu minoris; at capitulum, quod vocant, reiecto Austriaco Lotharingum praesulem expetit. Commeatus, quantum satis sit, in urbe Argent. est; at defit miles praesidiarius neque civibus cum senatu satis bene convenire dicitur. Ulmenses magno in metu agunt et ipse dux Würtemberg., ne onerentur hibernis copiarum Caesareanarum. Idem timent et Noribergenses. Rex Gall. ad Metim et in vicinia habet 10000 peditum et 2000 equitum; cui bono, nescitur. Ambergae, Neagorae ceterisque oppidis Palatinatus superioris invehitur Antichristianismus plenis velis remisque; pelluntur ministri ecclesiarum moderatoresque scholarum. Tillius modo circumspicit, quid tentaturi sint Galli pedites et equites; nocebit Argentorato pro virili. Plura lectione tua digna non suppetunt; iam ergo vale et salve a Dn. Copio et Nochio salvis. Recurre tuis ocius, si me amas.

Dab. Dantisci, 26. Octobr. a. c. 1624.

Tuus omni affectu Hermannus Tedering.

84. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 28. Dec. 1624.

.. Nicolao Rittershusio, legum candidato, in alma Borussorum academia p. t. commoranti .. Königsberg.

Salutem et officia! Domine Nicolae dormis? excute tandem oculis istum veternum, qui Te Tibi, mihi, aliis eripit nec veterem illum Rittershusium esse sinit. Et Iulio et Augusto et Septembri et Octobri mensibus proxime elapsis ad Te dedi per varios. Tu tamen ad tot compellationes ne semel quidem expergisceris? Causas silentii tui tam pertinacis nullas video satis idoneas. Si minus commode vales (quod nolim), vicarii quoque manu mihi satisfacere posses; si scribendi occasiones non suppetunt aut solito rariores occurrunt, certas ipse Tibi indicavi, quibus ni ipse defuisses, Tuas tam diu desiderare coactus non fuissem. Nunc hanc novam nomino; quicquid ad me recte curatum velis, id primo quoquo die tradas Dn. Christophoro Stebenhaber, Churfürstl. CantzleyVerwandten bey Euch zu Königsberg, cui nunc literas a Nobiliss. Dn. Hainhofero mihi submissas traiicio. Quid in huius negotio ratione mali nominis, quod apud Sebast. a Perbandt hactenus habuit, laboraris, exploraris, egeris, peregeris, vehementer scire desidero. Altorphini tui, quod sciam, valent omnes; in dies literas expecto a Nob. et Ampl. Dn. D. Remo nostro, quae si novi quid tulerint, faciam id quoque scias, modo ad has responderis. Salutant Te Copius et Xochius nostri, qui bene habent. Ego quoque salvere et valere Te unice exopto et Tuas quamprimum expecto.

Dantisci, d. 28. Decembr. a. 1624.

Tuus qualem nosti Hermannus Tedering.

85. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 15. Febr. 1625.

A Monsieur et meilleur amy Mons. Rittershusius à Hermansdorff chez Mons. le Baron d'Eulenburg.

S. P. Iam abstinere literis constitueram, Praestantissime et Doctissime Dn. Nicolae, quae Regiomontum ad Te irent, quandoquidem vestigia illarum me terrebant, omnia Te versum spectantia, nulla retrorsum, et ecce sub ingressum huius mensis tandem tuas videre contigit, quibus causam diuturnioris silentii adfers, quas accusare ego nolim. Miratus tamen sum saepius, quae Te libido invadere potuerit Warsaviam eundi tempore omnium periculosissimo et parum opportuno, autumno inquam superiore, peste passim grassante, quae iter istud non potuit non reddere difficile et lamentabile. Sed bene est Te superatis malis et incommodis istius peregrinationis ad portum quietis alicuius et valetudinis melioris rediisse. Annuat reliquis votis tuis Iehova Deus, quo doctrina ac virtus tua praemiis con-dignis brevi condecorentur, ad Sui Numinis gloriam, rei litterariae ac publicae ornamentum atque incrementum tuamque ipsius exoptatam salutem! Quas ad Ampliss. D. Remum et Cl. M. Queccium curatas voluisti, iam ante hos 14. dies Noribergam ablegavi. Impetrent id, quod quaeris, quo ad Tuos ocius contendere et fratri tuo D. Georgio palmam honoris ambiguam in simili lauta functione reddere possis. Audivi tamen ex Vestrate, qui ad nundinas Dominicales nostras superiore m. Augusto accesserat, exhaustum fere esse patrimonium tuum, dispiciendum Tibi esse et ineundas rationes, unde vitam toleres. In Borussia nostra si Spartam nancisci queas, id non negligendum. Sed nugari hominem persuasissimus fui, utpote certus, Te per Galliam, Angliam et Belgium cum Nob. Dn. Wernero Schenck iter facientem non modo nihil de tuo impendisse, sed et luculentum salarium aliquot annorum comparsisse atque tecum absportasse, quod iam forte in Borussia magna parte absumptum est hisce caris et a multis multum vexatis temporibus.

Utut se res habeat, leges nostrae neminem in paupertate vivere neque in anxietate mori permittunt; eluctaberis et Tu difficultatibus omnibus, si quas incidisti. Ni Te quieti dare constitueris, Spartam offeret Nochius noster non contemnendam, quae praeter victum et amictum liberum centum Ioachimicos annuos ad minimum Tibi pariet. Ipse illam ut puto non negligeret, ni iam de functione publica ipsi prospectum esset; nuperrime enim actuarii s. scribae reip. Mariaeburgensis opimam provinciam impetravit, quam nemo bonus ipsi invidebit, qui et illa et omni alia prosperiori fortuna dignissimus est. Ceterum in ea ipsa urbe viduam praedivitem cum duobus liberis duxit Copius noster, cui faustum hoc nomine hymenaeum apprecaberis. Post Pascha ad nuptias Te dubio procul invitabit; citius enim ad illas accedere per leges illius loci pontificias novis sponsis non licet. De me quid interim fiat, si quaeras, ita habe. Patriae amore Galliam et Germaniam reliqui, quae alioquin hospitem me libenter retinuissent, propositis variis et munerum publicorum et lauti matrimonii conditionibus. Sed his omnibus insuper habitis ad meos Dantiscanos pergendum duxi, non defutura et hic illa ratus, quae alibi (quod citra iactantiam dixero) certatim offerebantur. Nunc diversum sentire incipio, quando prae nimia litteratorum in patria civium copia locum apud meos talem intra paucos annos mihi praevidere non possum, in quo animus acquiescat. Et licet Venerum nostrarum gratia talis fuerit hodieque sit, ut potiri illa etiam cum delectu non sit difficile, re etiam lauta insequente, tamen quorsum multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit, quorsum multorum mores hominum conspexit et urbes, si nihil horum in lucem et adspectum hominum proferre volupe est? Qui istum animum meum providebant, ut abeundi propositum migrarent, agentis electoralis Brandenburgici munus honestissimum in aula Sereniss. regis Pol. obtulerunt. Ego aulicam vitam utplur. splendidam miseriam esse existimans quaeque ad mores et vitae meae rationes tuendas parum *commoda sit*, aures huc arrigere non potui. Soli-

tarii tamen huius et privati status pertaesus, quo fata trahunt retrahuntque sequar. Magnorum itaque Caesaris Ferdinandi consiliariorum hortatu et humanissimis litteris victus ad iter me praeparo circa Pascha ineundum. Ad aulam primum Imperatoris me conferam nobilitatem eiusque insignia ibi consecuturus; post in Silesiam rediturus designatus administrator duarum in illa dynastiarum primariarum[518] (quae principatus titulo quondam superbierunt), futurus quoque supremorum ibidem iudiciorum praeses. Non deerunt (scio) hic labores, curae, molestiae in rerum politicarum, iuridicarum et oeconomicarum praxi perpetua, sed nec alia vitae commoda ac ornamenta desiderabo, quae si non prosunt singula, tamen iuncta delectant. Etiam alibi dii deaeque habitant, quos quasve faventes numen ubivis reddere potest. Viro bono omne solum patria est, quae et ibi recte statuitur, ubi bene esse potest, ne bene sperando et male habendo transeat vitae curriculum. Sed ad alia. In negotio pecuniario Nobilissimi Dn. Heinhoferi nihildum perfecisse Te demiror. Adeone homines immemores sunt praestiti beneficii? Insta, urge coeptum opus. Iuvabit Te ea in re Spectatiss. Dn. Christoph. Stebenhaber, cancellariae electoralis, quae Regiomonti est, adiunctus, cui nuper epistolam a Dn. Heinhofero submissam traieci et rem omnem aperui. Responsum nondum tuli, quod quamprimum cum Tuo vehementer desidero, antequam nimirum hinc abeam. Litteras Vestras ad me curabit Nobiliss. et Ampliss. Dn. Andreas Iaski, consiliarius electoralis emeritus, Fautor meus honorandus, qui has defert. Morabitur vobiscum per septimanam unam aut alteram ad minimum; ego autem Vestras ante exitum huius mensis, si fieri potest, hic expecto. Tu iam mihi vale et salve aeternum; coeptis quoque et conatibus ulterioribus meis bene precari non desine, si mereor.

Dab. Dantisci in patria ex aedibus meis d. 15. Febr. *a. 1625.*

Tuus ex aβc Hermannus Tedering.

86. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

ntisci. 9. April. 1625.

.. Nicolao Rittershusio I. U. C. in alma Regiomontana 'ussorum p. t. commoranti .. Königsberg.

S. Binis tuis gratissimis unica hac satisfacio epistola. me facere iubet itineris in dies ineundi vicinitas nec ı Cl. Dn. Nochii in curando negotio tuo tarditas, quam ıen absentia eius sic satis excusat. Iam vero ad nos lucem urgeo, ut Spartam oblatam Tibi servet et quam ssime conferat. Quantum intelligo, nil Tibi metuendum; unum videre et alloqui desiderat mater iuvenis studiosi,) de tempore et modo futurae peregrinationis Vestrae um agere possit. De salario nulla difficultas erit; at lorum iste strepitus et metus novus forte per annum ıuc adolescentem hic detinere posset academica vita tibi erim libera relicta. Sumptus durante mora ista faciendos)levabit viduae liberalitas, quae te et studia tua aestire coepit. E re itaque fuerit, oblata occasione ad . Nochium prius divertere quam hic te sistas. Is te ius omnia docebit, quae apud Dominam Dalmerianam are te possint. In negotio pecuniario Nobiliss. Dn. Hein'eri sedulum et serium Te modo video. Ne desim deeriis et eius, cuius interest, et nostris, inserviendi et tificandi aliis hoc tempore satis commodo, en ipsum :ırographum Perbandti, quod tuae fidei committo, ne)is pereat. Ad minimum 16 Ioachimicos accipies, valorem R., qui a. 1615 in imperio fuit et nunc quoque est. quod gratitudinis auctarium adiicere frater defuncti it, in lucro ponendum. A Te igitur ad nos delato soror a (die Fr. Israel Fofssche) aut dictos nummos aut autophum debitoris expectabit et accipiet, quo Nobiliss. . Heinhovero transmitti alterutrum possit. De Dn. Christo)ro Stebenhaber superioribus meis quaedam inieceram; illa in tuis verbum nullum. Sufficeret scire litteras as illi recte traditas. Vota tua et ominationes faustas *provincia mox a me* obeunda gratus legi. Pondus addat,

qui omnia potest, Deus. Prodigum Te video et praematurum in assignandis titulis. Parce illis in posterum, si me amas. Biga ista dynastiarum, ad quam contendo, non ipsius Caesaris est, sed Baronis Austrii, Consiliarii Caesarei, qui in illis merum imperium habet. Et quamvis iunctim oblata sit administratio et dynastiarum et iudiciorum in illis, ego tamen forte illa dividam, si unum hominem utrique oneri ferendo imparem cognovero. Quod reliquum est, salutem tibi plurimam nuntio a Dn. Copio et Dn. Nochio, qui suis negotiis modo intenti alio magis libero tempore ad te dabunt aut potius Mariaeburgi, quo properant, Te expectabunt. Iam vale mihique amorem tuum perenna. Quomodo successerit negotium cum Perbandto, quamprimum ad me perscribas rogo. Si maxime patria abfuero, literas tuas probe ad me soror mea curabit, ne dubites. Iterum vale.

Dantisci, 9. Apr. a. 1625.

Tuus omni nexu et nomine

Hermannus Tedering,
der Herrschafften Oderberg und Beutten in Schlesien bestelter Verwalter.

87. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 19. Apr. 1625.

Dem Ehrnvesten Wollgelahrten Herrn Nicolao Rittershusio IC., Meinem insonders Günstigen Herren und gutem Freunde zu handen. Marienburg oder Königsberg.

Ehrnvester, Wollgelahrter Herr und zuverlefsiger guter Freund Nicolae Rittershusi, Ihme sind meine gantz willige Dienste und grufs jederzeit bevor.

Das ich Sein angenehmes vom 3. dieses Monats von einem Nobili Pomerano zu recht empfangen, wirdt er verhoffentlich aus meiner Ihm mitgegebner schrifftlichen antwort, so ich Ihm den 9. ditto zugestellet, gnugsam *verstanden* und dabey zugleich die Perbandtische Obligation*schrifft in* originali woll erhalten haben. Solte aber der

Herr vor ankunfft solches meines Schreibens und beigefügten einschlufses zur hochzeitlichen Mariaeburgischen Ehrenfreuden[519] sich von Königsberg erhaben haben, wirdt er mit sichersten mitteln dafselbe zu handen zu bringen zweifels ohn gelegenheit wifsen. Da hernach mit dem autographo debitoris Perbanti was fruchtbarliches erhalten worden und die 16 Reichsthaler einkommen, wird er solche zu seiner alherkunfft meiner Fr. Schwester unbeschweret zustellen, damit sie H. Hainhofern ehist dieselbe möge ubermachen oder durch mich ubermachen lafsen. Im fall auch (welches doch nit zu hoffen) solche handtschrifft itzo nit solte gelöset werden, will ich derselben mit erster gelegenheit vom Herrn gewertig sein, damit ich, was mir zu trewen händen gelifert, wiedrumb an seinen Orth schicken könne. Von des Herrn bewuster Condition wird er gnugsame nachrichtung haben, und H. Nochius das beste dabei zu thun wifsen. Amantibus mora taediosa ut et peregrinantibus. De priori rogetur Dn. Copius, der junge newe Haufsvater; ad posterius Tecum ego facile consentiam. Nunc tandem abeundi occasio diu quaesita offertur, qua intra biduum D. V. utar. Tibi quoque quo fata trahunt retrahuntque, sequendum erit; were es auch gleich zur reichen schönen Witwen. Sed ista me non tangunt, qui aliarum rerum satago; Tibi ista dicta sunto, qui Dalmerianam vel potius Lindanam mox videbis.

Vale et salve plur. cum Dn. Copio et Nochio, amicis antiquis. Illi negotium meum pecuniarium, quod cum Knoblochio habeo, commendabis.

Dab. Dantisci, 19. April. a. 1625.

Tuus ex animo Hermannus Tedering,
der Herrschaften Oderberg und Beuten designirter
Administrator.

88. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

In Arce Neudeck. 29. Nov. 1625.

Clarissimo viro Dn. Nicolao Rittershusio IC. Dantzig. Bei der Fr. Dalmerschen zu erfragen und abzugeben.

Sal. et off. Quamvis non dubitem, Clarissime carissimeque Domine Nicolae, Te promissi memorem debitum Perbantianum me absente exegisse et accepisse, mirari tamen subit, quid obstet, quominus 16 illos Ioachimicos sorori meae non tradideris, ut vel Dantisco vel hinc summula illa pecuniae Nob. Dn. Hainhofero traiici dudum potuisset. Causam edissere, si placet, et rem ipsam praesta. Si frater defuncti Sebast. a Perbandt adhuc tardavit vel plane negavit solutionem (quod ne per somnium hactenus mihi in mentem venit, si eius promissa considero et quod Nobilium verba de futuro quasi iam facta accipi debeant), cheirographum ab altero amico tuo recipe mihique transmitte, ut me hoc onere expediam. Nunquam enim ad me dat Nobiliss. Dn. Hainhover, quin huius rei mentionem iniiciat. Aut nummis aut cheirographo ipsi fecero satis, non aliter. In hoc me iuva, rogo Te. Nunc nova audi; sed primum lugubria. Obiit (eheu!) die 15. mensis Augusti Nobilissimus ille Patricius Augustanus, ICtorum et Philologorum Coryphaeus, Fautor noster Maximus, Dn. D. Georg. Remus, apoplexia correptus. Hoc viro sublato ipsam humanitatem terris emigrasse dixeris; tanta in illo officiorum promptitudo et facilitas fuit! Ego ipsius obitum, quod debeo, serio lugeo; et licet caream externo moerentium habitu, defixus tamen haeret intimis sensibus dolor, quem non nisi longinquitas temporis concoquet. Ceterum in Boemia et Moravia persecutio Evangelicorum exasperatur in dies coguntur que homines ad ἀρτολατρείαν probandam vel emigrandum. Quid in inferiore Saxonia geratur, Tu me melius noveris. Venerunt Caesareani, viderunt, occupaverunt plurima. In Italia bellum fervet adhuc; Sabaudus multa damna Hispanis initio dedit, nunc plura ab illis accipit. In Gallia nec bellum nec pax cum Reformatis;

ad illud Clerus, ad hanc Rex cum Parlamento inclinare videntur durante bello Italico. Tantum volui a febri tertiana diuturna liberatus, cui vina Moravica, Austriaca et Hungarica ansam (mea opinione) non levem praebuere. Quodsi huius regionis aer et victus me offendere perrexerint, aliud consilium ineundum fuerit. Rescribe ocius et de memorabilioribus apud Vos plenius me certiorem redde. Vale et salve cum D. Copio et D. Nochio, amicis meis.

Dab. in OberSchlesien, aufm Schlofs Neudeck[520] in der Herrschafft Beuthen, die 29. Novembr. a. 1625.

Tuus omni affectu

Hermannus Tedering a Ringenthal,

Dynastiarum Oderberg et Beuthen in Sup. Silesia p. t. Praefectus et Iudicii Aulici ibidem Praeses. mpp[a].

89. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Bythomii in Sup. Sil. 25. Ian. 1629.

Clarissimo viro Domino Nicolao Rittershusio ICo .. Dantzig.

Clarissimo Domino Nicolao Rittershusio ICto, amico meo veteri et vero, salutem et officia!

Vehementer Te affligit, quantum litteris indicas, Dalmeri[521] tui iuvenum citra invidiam lectiss. praematurus obitus. Nil miror, si et tuum affectum considero, quo ephorus alter parens efficitur, et ipsius a Te laudatam indolem perpendo, qua omnes facile in suam admirationem rapere potuit. Sed si deplorata haec tempora introspiciamus, quibus Martis furor omnes ferme Europae regiones perreptat et tam sacra quam profana omnia miris modis miscet, turbat, perturbat, optime cum illis actum iudicabimus, qui ad *πολίτευμα* illud coeleste primis melioribus annis evocati non diu in hoc immundo et perverso mundo peregrinari coguntur. Nihilominus homines sumus ideoque quos in vita caros habuimus, ex oculis ereptos amore, *dolore sequimur*, prosequimur, dum alia ratione non licet.

Hinc Tibi, ni fallor, de parentatione pie defuncto paranda cogitatio nata, cui quod mantissam poeticam ab amicis addi postulas et meas quoque hic partes requiris, facis Tu quidem tuo iure, modo apud me voluntati promptissimae facultas similis suppeteret. At nunc vena ista (si quae unquam fuit) a curis publicis plane exaruit. Nihilominus tentavi veteres Musas, si quid forte ex hac gratificatione ad Te solatii, ad illum, quem tantopere suspiras, honoris accedere posset. Sic igitur Te affari placuit:

Desine Dalmerum lugere, immitia frustra,
  Mi Rittershusi, desine fata queri.
An nescis: bene qui moritur, bene vixit et huius
  Vitae extrema dies quod sit origo novae?
Ille iuventutis Gedanensis flos, decus atque
  Miraclum, ingenio, moribus, arte valens
Dalmerus pius, haud credatur amissus, ad astra
  Sed praemissus, ubi vivit ovatque Deo.
In terris labor et dolor; omnia somnia; mundo
  Quae bona sunt, mala sunt, quae mala sunt, bona sunt.
Dalmero nunc certa quies et certa brabea;
  Pro modico aeternum funere fenus habet.
Scilicet aequa manet sic permutatio; nam cui
  Coelica vita placet, coelica dona capit.

Habes hic, qualia hac vice a me impetrare potui, non qualia forte Tibi es pollicitus. Quod restat, vitae rationem talem, qualem describis Tibique exoptas, det tibi invenire noster auctor rectorque Deus et me quoque eadem tandem beet! Idem nos in hac miseriarum valle adhuc peregrinantes clemens adspiciat, sub umbra alarum suarum protegat et concussis passim ecclesiis ac rebusp. pristinum halcyoniorum usum largiatur, ad Numinis sui gloriam et electorum salutem! B. V.

Dab. Bythomii in Sup. Sil., d. 25. Ianuarii 1629.

Tuus ab antiquo idem Hermannus Tehdering.

90. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

In Arce Neudeck. 23. Mart. 1629.

.. Nicolao Rittershusio ICto .. Dantzig.

S. et O. Clarissime Domine Nicolae, amice plurimum colende!

Si ex silentio unius aut alterius septimanae meum in Te amorem quidquam imminutum sive credis sive coniicis, erras omnino et me ignoras penitus. Cum antehac ad sororem scriberem, multae me causae a tua compellatione retrahebant, publicae magis quam privatae, ideoque me a meis apud Te hoc nomine ad tempus excusari volui, ut nesciam, quis Te impatientiae genius ad querelas abripuerit. Quibus remedium iam-nunc allatum puto ab illis, quas sub initium superioris mensis ad Te cum distichis paucis lugubribus ablegavi. Solutionem debiti, quod apud Nob. Dn. Hainhoferum Perbantii iam olim contraxerunt, neutiquam nunc urgeo; sufficit syngrapham recipere ab eo, cui Tu illam commisisti. Sic enim exacti illius aeris alieni suspicionem apud Dn. Hainhoferum evitabo, si forte aliquam animo concepit. Fidem et candorem meum omnibus probare studeo nec solum a crimine, sed etiam a criminis suspicione longe abesse volo. Quare id operam dabis, ut a Bernh. Doblero Thorun. certa prima occasione remittatur syngrapha, si minus nummos a morosis debitoribus per hos annos extorquere potuit. Statum publicum Borussiae ne verbo quidem attingis, nedum explicas. Soror mea lecto affixa parum de eo aut nihil novit nec alii satis assequuntur. Si tolerabilem fore constaret, ad meos proxima aestate remigrarem; hic enim in peius omnia ruunt et retro sublapsa feruntur. Et regio et religio varie affligitur nec ullus malorum finis apparet durante bello isto Germanico. Haec ad Te hac vice volui, ut scrupulum eximerem, quem mora responsi prioris iniecerat. Nunc vale et de constanti mea in Te voluntate nullus in posterum dubita. Sum, fui, ero

Tuus omni nexu et officio Hermannus Tehdering.

Dab. in Arce Neudeck, 23. Martii 1629.

91. H. Thederingus Nic. Rittershusio.

Dantisci. 4. Maii 1633.

Clarissimo et Consultissimo Viro Domino Nicolao Rittershusio ICto, Domino et amico meo ut veteri, ita plurimum honorando. Nürrnberg.

Clarissime et Consultissime Vir, Domine et amice plurimum honorande!

Sal. et Officia! Biennium est et quod excurrit, ex quo resignata administratione Dynastiarum Oderburg et Bythom. in superiore Silesia in patriam redii, quo unius nepotis et unius neptis tutelae legitimae, quam praematurus abitus et obitus sororis mihi unicae dilectissimaeque in me devolverat, mearumque simul rerum curam gererem. De Te saepius cum Spectab. Dn. Rossovio[522] sermones habiti; parentatio tua affini ipsius Lugduni Gallorum pie vita functo hic adornata (cui etiam a me versus aliquot lugubres impetrasti) ab eodem requisita; sed ille ullam talem parentationem a se visam unquam pernegavit, adeo ut Te propositum migrasse vel distulisse coniicere inde licuerit. Noribergam reduci Tibi omnia ex voto fluxisse, viduam genere et virtutibus nobilem, amplissima dote stipatam in matrimonium a Te ductam[523], Ioachimus noster Ölhafius[524] coram retulit. Quam fortunam uti Tibi benemerenti impense gratulor, ita mihi votis assiduis (modo fata annuerent!) similem hactenus exoptavi, qui celibem adhuc et privatam vitam apud meos duco. Sunt, qui hisce temporum calamitatibus et miris vicissitudinibus e re litteratorum putent placitis eiusmodi abstinuisse aut caruisse bonis, qui num audiendi sint, penes Te esto iudicium; mihi verius illud videtur effatum antiquum, nullius boni sine socio aut socia iucundam esse possessionem et onus quodcunque facilius a duobus quam uno portari. Sed sinamus hic quemlibet suo sensu abundare. Sortes hominum in manu Dei esse nobis Christianis constat; huic *confidentes non* confundentur, et licet non semper exaudi*antur ad vol*untatem, ad salutem tamen ipsorum omnia

dirigit divina providentia. Ceterum quis post sedatas aliquantisper Martis furias (quae omnia procul dubio apud Vos turbarunt) Universitatis Altorfinàe et Vestrae Noribergae status modo sit, ex Te aveo cognoscere. De professoribus et pretio mensae ibidem diu est, quod nihil inaudivi. Ubi vero frater tuus Dn. D. Georgius? ubi Ludovicus? ubi noster Ludwelius? ubi Dn. Queccius medicus[525]? aliive amici veteres, quorum nomina non succurrunt? Diffunde Te hic et de singulis ad notitiam meam pertinentibus sufficientia narra; rem gratam praestabis. Noster status fere antiquus est; privata curantur, publica aut negliguntur aut segnius tractantur. Factiones theologorum et vectigalis nautici immodicae exactiones sunt fundi nostri calamitas, cui Deus et dies remedium afferant! Nochius noster ante meum reditum Mariaeburgi sponsus obiit; Copius adhuc ibidem vivit, sed abitum in Hollandiam cum familia meditatur. De Bernhardo Doblero, cui chειrographum Perbantianum a Nobiliss. Dn. Hainhofero fidei meae commissum incautior reliquisti, nihil certi expiscari hactenus licuit. Nec nummos nec schedam debiti confessoriam impetrare possum, quod vehementer dolet; vereor enim, ne accepisse me pecuniam istam suspicetur Patricius ille Augustanus, cuius benevolentiam mihi sartam tectam meque ab omni suspicione illi immunem praestare vellem! De aliis fama publica Te certiorem faciet. Electio novi regis Pol. omni competitore (novo exemplo) caruit; coronatio sub ingressum huius anni feliciter Cracoviae peracta[526]. Comitia habita magnum gravaminum cumulatorum partem velut ense resciderunt. Contra Moscos 20. milia militum in Pol. et Germ. legendorum decretum extat, ne periculum Smolensco ab hoste imminens longius serpat[527]. Electori Brandenb. feudum Prussiae rex per legatum eiusdem, comitem Schwartzenburgium, contulit et confirmavit. Reverendissimus et Illustr. episcopus Culmiensis, Dn. Iacobus Zadzik[528], regni cancellarius, ad conventum pacificationis Leutmeriensem a rege mittitur. Utinam tandem pax alma *reducatur, postquam* suo damno et exitio universi et singuli

in Germ. illud ingeminare possint: nulla salus bello. Unitae provinciae Belgii indutias aliquot annorum cum Hispano inituræ dicuntur; quo eventu, ipsae viderint, quae bello cessante ad internas dissensiones et seditiones propendent. Tantum hac vice debui, volui, remigrante ad suos Dn. Frider. Endorfero [529], Patr. August. Tu in similes occasiones intentus desiderio meo subinde satisfacere memineris, quas apud Cleweinium, Magn. Dilhern aliosve mercatores tibi notos explorare poteris. B. V. cum uxore et liberis, si quos habes. Salutem ex me officiosissimam doctoribus et amicis meis Altorfinis ac Noribergensibus (ubiubi in eos incideris) nuntia.

Dab. Dantisci, d. 4. Maii a. 1633.

Tuus ex fide antiqua Hermannus Tehdering.

Adnotationes.

1 Wolfg. Meureri (1513—1585) vitam descripsit Barth. Walther, cuius dissertatio Meureri commentariis meteorologicis Lips. 1606 editis praefixa est, repetita et adnotationibus instructa in Chph. Meissneri Nachr. von . . Altenberg 1747 p. 356—378, quam Adamus in vit. medicor. (Francof. 1705) p. 110—114 excerpsit. His accedunt primo loco laudandus Forbiger in Beiträge zur Gesch. der Nicolaischule in Leipzig I, Lips. 1826, p. 8—11; Schreber in vita Georgii Fabricii, Lips. 1717, p. 296 sq.; Baumgarten-Crusius, de G. Fabricii vita et scriptis, Misenae 1839, p. 85 et in eius epist. editione (Lips. 1845) p. XVI; Herm. Peter, G. Fabricii ad Andream fratrem epistolae, progr. St. Afrae Misenae 1891, adn. 3 ad epist. 18. Nos Meureri vitam Waltherum secuti et Forbigerum, qui temporum rationem Walthero accuratius habuit, quam brevissime adumbremus. Altenbergae, in urbe in Saxoniae et Bohemiae montuoso confinio sita, 1513 natus inde ab a. 1524 Pirnae, tum Dresdae scholam adiit, 'paulo post' — 1529 secundum Forbigerum — Lipsiam se contulit, ubi a monasterii Thomae praeposito iussus monachos iuniores litteris graecis erudivit, 'non ita multo post' a Casp. Bornero, scholae Thomanae rectore, in operae scholasticae societatem pro conrectore in collegarum numerum adscitus est. Ao. 1531 baccalaureus creatus, 'post tres annos' — a. 1535 secundum Forbigerum — magister factus gubernacula scholae Nicolaitanae a senatu accepit et sex paene annos, 1535—1540, ei praefuit. Deinde 'quadriennio post' — 1538 sec. Forb. — Borneri loco in collegium principum minus cooptatus est, a. 1547 sec. Forb. vel 1548 sec. Walth., ut hoc statim addatur, eidem Bornero a. 1547 mortuo in collegium principum maius successit. Sed a. 1538 in collegium philosophorum receptus lectiones de Aristotele publicas habuit. 'Paulo post' — 1540 sec. Forb., cf. G. Fabricii epist. 8 (24. 8. 1540) editionis Baumgarten-Crusii — decani munus illi est impositum. Dum autem alios docet, ipse discipulus auditorque super illud fundamentum cognitionis

utriusque linguae, doctrinae physicae et mathematicae iam tum Lipsiae artem medicam, inprimis scientiam anatomicam exstruere coepit, postea primo eius artis gradu accepto in Italia amplificare et excolere studuit. Walther dicit Meurerum cum W. Werthero, U. Mordisio, I. Sprembergero, G. Fabricio iter ingressum esse, id quod falsum esse G. Fabricii epist. 8 B.-Cr. (24. 8. 1540) et epist. nostra 9 (27. 8. 1540) Patavio ad Meurerum Lipsiam missis evincitur. Itaque dicendum erat Meurerum eos in Italiam secutum esse neque idem una cum Fabricio Wertheroque 1543 rediit, sed 1544 demum (vide adnot. 42 sub finem) medio ex itinere a Mauritio duce Saxoniae auctore et suasore Melanchthone Lipsiam ad philosophiam Aristotelicam interpretandam revocatus est. Semestris spatii hiberni 1547/8 rector factus est (v. Acta rectorum universitatis studii Lipsiensis edit. a. F. Zarncke 1859 p. 320—337). Ao. 1548 medicinae et baccalaureus et doctor renuntiatus in medicorum collegium cooptatus est, tum 1571 in Mart. Drembachii demortui decani munus in reliquum vitae tempus successit et relicta philosophia medicinam publice docuit. — De Georgio Agricola Glauchavia oriundo, 24. Mart. 1494 nato, 21. Nov. 1555 mortuo, scientiae metallicae instauratore scripserunt I. D. Schreber in vita G. Fabricii (Lips. 1717) p. 237—241, F. A. Schmid in Agricolae Bermanni editione Freyb. 1806, qui copiosius de eius vita et operum editionibus egit, tum F. L. Becher, die Mineralogen G. Agricola und A. G. Werner, Freib. 1819, et qui praecipue laudandus est, G. H. Jacobi, der Mineralog G. Agricola und sein Verhältnis zur Wissenschaft seiner Zeit, Werdau i. S. (1889), quo libello etiam Agricolae aliorumque invicem scriptae epistolae, quae adhuc exstant non ita multae, et doctrinae illius auctores et sectatores scite recensentur. Agricola, ut scribit Adamus in vitis medic. 1705 p. 34—36, 'cum fundamenta bonarum literarum in Germania feliciter posuisset et a. 1518 (vel 1519 secundum G. H. Jacobi p. 2 adn. 2) Cygneae ludum graecum aperuisset ac post (a. 1522, Schmid p. 5) Lipsiam profectus Petri Mosellani . . lector fuisset, abiit (a. 1524, Schmid p. 8) in Italiam, ubi inter alios audivit Nic. Anconem et Io. Naevium, quorum alter in medicina quam docent Arabas secuti diligenter fuit versatus, alter tum in latinis et graecis literis tum maxime veteri illa medicina eruditus. Ex Italia in patriam reverso nihil fuit potius quam ut se ad Sudetos (Erzgebirge, Jacobi p. 3) conferret . . . Ad quos ut venit, statim coepit ardere studio rei metallicae cognoscendae . . . Anno post (i. e. circa a. 1527, Schmid p. 9) . . in valle Ioachimica suscepit officium et munus medendi . . . Ex valle Ioachimica Chemnitium . . *commigravit* (de tempore ambigitur: 1530 Allgemeine deutsche *Biographie* I p. 144, 1531 Joecher-Adelung I p. 323, 1533

Schmid p. 11), ubi se studio physicae et medicinae totum dedidit conatusque est subterranea e tenebris quibus obruta iacuerunt eruere et in lucem proferre. Quod ut eo felicius praestaret, Mauritius Saxoniae dux dedit ei immunitatem aedium et vacationem publici muneris ac Georgii Commerstadii ICti suasu annuum eidem stipendium decrevit.' Ceterum de statione Agricolae Chemnicensi v. Schmid p. 11 sqq. **2** De Georgio Fabricio Chemnicensi, S. Afrae rectore, scripserunt I. D. Schreber (Lips. 1717), quem sequitur Ioh. Aug. Müller, Versuch einer .. Gesch. der .. Fürsten- und Landschule zu Meissen II, 1789, p. 3 sqq., post eum D. C. G. Baumgarten-Crusius (Misenae 1839), Th. Flathe in St. Afra 1879 p. 24 sqq. et in progr. scholae Afranae 1879 p. 22 sqq.; eius epistolas ad Wolfg. Meurerum et alios aequales edidit Baumgarten-Crusius (Lips. 1845), nonnullas H. A. Toepffer in vita Bohuslai Hassensteinii praeside Io. Chph. Colero 1719 publice exposita p. 57 sqq., alias sex (1557—1570) ad Augustum electorem Flathe in progr. scholae Afranae a. 1880 publici iuris fecit, epistolas ad Andream fratrem Herm. Peter in progr. scholae Afranae a. 1891 et 1892. Inter Ioach. Camerarii epist. famil., Francof. 1583, nonnullae ad Fabricium p. 496 —525 leguntur. Et Schreber quidem opere suo, cuius lectio non iniucunda est, indice locupletissimo aucto etiam de Fabricii scriptis agit, Baumgarten-Crusii liber et ipse doctrinae plenus, sed non ad finem perductus nil nisi Fabricii vitam continet. Quare cum etiam novissimo tempore nova de viro illo ex epistolis sat multa didicerimus, si quis denuo rem tractaverit, inprimis Fabricii itineris Italici accuratius quam adhuc factum est ratione habita, eum rem non inutilem neque ingratam egisse arbitramur. — Quod ipse Fabricius 'Iter Chemnicense', quo iter ex Italia in Germaniam et urbem patriam factum enarrat, sic subscripsit: 'Chemnicii Cal. Octob. MDXLIII', id per errorem factum est, quoniam a temporum ratione, quam in adn. 42 exponemus, plane abhorret. **3** Fabricius in epist. ad Wolfg. Meurerum 8. 7. 1547 (num. 35 B.-Cr.) scribit haec: 'Iter meum novum' — iter romanum secundum intelligit — 'brevi ad te mittam... Et inprimis illud mihi placuit, quod montes, in quibus s u l f u r a r i a ut scis erat, inveni dictos Leucogaeos, vicinum antrum pestiferum spiritum exhalans Charoneas scrobes, binas thermas inde non procul a nobis visas Oraxi fontes, locum ubi m o n s n o v u s Puteolanus et campos adiacentes Phlegraeum campum et forum Vulcanium.' Cf. Fabricii Itinera (Basil. 1547) p. 30 et 88 et epist. nostr. 2. — De Fabricii rerum naturalium inprimis metallorum scientia, qua Agricolam, Gesnerum aliosque humanissime adiuvit, vide B.-Crusium p. 73. 86. 97—99, Iacobi p. 52. 54 sqq., Fabricii epist. Pet. 35. 37. 38. De *Agricolae studiis* metallicis Fabricius summa cum admira-

tione saepius refert, velut in Itinerum libro p. 62, epist. 1 B.-Cr. (10. 11. 1536), epist. 93 B.-Cr. (23. 3. 1553): 'Agricola nuper ad me scripsit se editurum fuisse librum de peste ante Cal. Martias, nisi impeditus fuisset opere metallico, quod nunc cum picturis machinarum aliorumque instrumentorum absolutum Basileam misit': de eodem libro epist. 117 (17. 1. 1555): 'Georgius Agricola mihi aliquantulum temporis eripuit, qui nunc emendat libros de subterraneis, ut cum metallicis uno volumine exeant: qui saepius quam antea ad me de multis quaestionibus scripsit, quas invicem tractavimus. Tu si quid habes quod observasti, rogo te cum ipso ut communices.' Sed hunc librum suum, qui continet 'de re metallica' et 'de animantibus subterraneis' cum epistola dedicatoria ad Fabricium, Basileae apud Frobenium 1556 excusum Agricola non iam vidit (v. Fabricii epist. ad Melanchthonem 8. 12. 1555 in edit. B.-Cr. p. 139), neque alterum illud volumen XXXV librorum, quod ab ipso quidem praeparatum (v. Fabricii epist. 116 B.-Cr., 35 et 38 Pet.) a. 1557 ibidem prodiit, quo primo loco Agricolae 'de re metallica' libri repetuntur, ultimo loco G. Fabricii de rebus metallicis observationes exstant. Quo in libro f. 702 Agricola se a Fabricio totum devinctum teneri confirmat. 'Non enim cessat' inquit 'ad me mittere omnia quibuscunque iuvari atque ornari mea studia possent.' Item Agricola in defensione ad ea quae A. Alciatus denuo disputavit de mensuris et ponderibus, post librum suum de mensuris et ponderibus Romanorum atque Graecorum Basil. 1550 excusa, p. 181 Fabricium sic adloquitur: 'Nemini ex omnibus meis amicis quam tibi scripta mea tantae curae fuerunt. Nemo mihi saepius quid homines eruditi de eis iudicarent significavit literis. Nemo plures scriptores, qui eosdem locos tractarent, ad me misit.' Etiam iis Agricolae scriptis, quae inedita aut imperfecta reliquit, et historicis et naturalibus, praeterea epistolis familiaribus Fabricius curam et diligentiam adhibuit (v. Schreber p. 236 sqq., Fabricii epist. 125, ep. ad P. Eberum in editione B.-Cr. p. 126. 127). 4 De Meureri praeceptoribus, quos in Italia audivit, v. Walther l. c. fol. c 1[b] sqq. 5 De Montano Veronensi (Giov. Batt. Monte, 1498—1551) v. Haller, bibl. med. pract. II 76 sqq.; Gasp. Federigo, dei meriti dei più celebri professori che nelle mediche discipline fiorirono nell' università di Padova nei trei secoli XIV XV e XVI, Pad. 1835, p. 16 sq.; Renzi, storia della medic. in Italia III (1845) p. 422 sqq.; Hirsch, Lexikon der Aerzte IV p. 271 sq.; M. Roth, A. Vesalius (1892) p. 119 sq. et saepius. 6 De A. Vesalio v. M. Roth, A. Vesalius Bruxellensis, Berol. 1892. 7 De Io. Franc. *Brancaleone* v. Hirsch, Lexikon der Aerzte I p. 557; Origlia, *istor. dello studio* di Napoli 1754 II p. 411; Brambilla, storia

delle scoperte fisico-medico-anat.-chirurg. fatte dagli uomini illustri Italiani II 2 (1782) p. 159; Marini, degli archiatri pontificj I (1784) p. 375 sq. **8** De Horstio († 1551) vide v. d. Aa, biogr. woordenb. VIII 2 p. 1275. **9** Libri quinque Basileae ex officina Frobeniana 1533. **10** Andreae Vesalii de humani corporis fabrica libri VII. Basil. (ex off. Io. Oporini 1543). **11** De Marino et Lyco v. Sprengel, Gesch. d. Arzneyk. II[3] p. 70, 66 sq. et Haeser, Gesch. d. Med. I[3] p. 248 sq. **12** Meteorol. II 7 p. 365[a] 14 sqq. **13** De hoc libro nil mihi constat. **14** Lapidem interpretatur Agricola 'Stein' (p. 480), saxum 'Werckstucke' (p. 484); saxum autem est species lapidum qui fere dicuntur (p. 178 et 186: 'rerum . . naturalium scriptores . . lapidem in quatuor genera diviserunt, quorum primum proprium nomen non habet, sed communi vocabulo lapis nominatur, cuiusmodi est magnes . . . Alterum . . gemmam illi vocant. Tertium politum tantummodo radiat, id marmoris vocabulo solent nominare. Quartum saxum appellatur, quale habent lapicidinae ex quibus id ipsum excinditur . .'). Terrae insignes sunt 'vorzügliche und brauchbare Erden' (p. 5. 41 = I p. 4. 217 Lehm.). Succorum Agricola tria genera distinguit: succum liquidum ('Flissender safft', p. 485: v. G. H. Jacobi p. 33), concretum ('Harter safft'), lapidescentem ('Steinsafft'). Succum autem intellegit 'jede mit mineralischen Theilchen mehr und weniger vermischte flüssige Substanz, dann auch einige Salze, endlich einige Erdharze' (Lehm. I p. 58 sq.); v. indicem edit. Basil. s. v. succus. **15** Editiones Venetae maximam partem Aldinae sunt: Simplicii in phys. ausc. 1526, p. 102 apud Renouard, annales de l'imprimerie des Alde [3] 1834. Eiusdem in libr. de coelo 1526, 102 et de anima 1527, 104. — Ioannis 'in libros de generatione et interitu' (sic enim illi dicunt) 1527, 104. — Themistii opera 1534, 111. — De Alexandri commentariis v. adnot. 23. — Michaelis comm. in varios libr., Simplicii in librum de anima commentariis adnexi 1527, 104. — Theodori Metochitae illo tempore, quantum scio, nil, Eustratii autem nil nisi comment. in poster. resolut. et ethica Nicom. apud Aldum 1534, 113 et 1536, 116 excusi exstabant, Ammonii nil nisi comm. in libr. de interpretatione et in decem categorias apud eundem 1503, 40. **16** Leonh. Badehorn Misenae 1510 natus, iuris scientia clarus, a. 1535 scholae Annabergensis rector factus Georgii Fabricii praeceptor erat posteaque itineris in Italiam suscepti comes (v. Schreber p. 51 sq. et Fabricii epist. 10 B.-Cr). Initio anni 1545 Lipsiam reversus, ut ex epist. nostra 6 patet, ibidem semper fere usque ad mortem (1587) mansit (v. Schreber p. 287 sq. et Deutsche Biogr. 1, 759); v. Acta rectorum universit. studii Lipsiensis edit. a *F. Zarncke 1859* p. 91 sqq., 278 sqq. et saepius. **17** Valent.

Hertelius Chemnicensis, pueritiae G. Fabricii magister et postea collega, scholae urbicae Chemnicensis rector fuisse dicitur inde ab a. 1539 usque 1544, quo eum diem supremum obiisse nonnulli sunt auctores. Alii autem eum a. 1548, quo Adamum Siberum, Hertelii generum, in rectoris munus successisse constat, mortuum esse consentiunt. Certe in Agricolae litteris ad Meurerum Kempnicio 30. 12. 1544 datis (apud nos epist. 5) eius mentio ut etiamtum vivi fit. Plura de Hertelio exstant apud Schreber. p. 32 sqq., Schumacher. in historia vitae Ad. Siberi (Grimae 1719) p. 53, Baumgarten-Crusium p. 15 sq. 31. **18** Valerius Cordus a. 1515 natus, Romae 25. Sept. 1544 mortuus est, qui clarus fuit cum Dioscoridis illustrator tum 'felicissimus indagator herbarum antea ignotarum', cum non solum auctorum antiquorum studio vacaret, sed etiam vivarum plantarum cognitioni se daret, vir Fabricio quoque dilectissimus (cf. eius epist. 14. 17 B.-Cr.), qui ei 'Iter Patavinum' dedicavit. Cordus, cuius vitam Adamus in vitis medic. (Francof. 1705) p. 19—22 praeter consuetudinem suam uberius enarravit, medio ex aetatis flore casu fatali subito ereptus est. Nam in 'nobili illa peregrinatione', ut ait Agricola in epist. 6, qua Patavio Romam versus profectus est, non recta via, sed, ut Adamus scribit, 'per ea loca, quae simplicium feracia vel apud Plinium legerat Cordus vel ex aliis audierat, et circa Florentiam totum illum tractum convallium percurrit. Inde Pisas petit, Lucam, portum Liburnum ac in summis, ut tempus tunc erat, caloribus arduos montes, litora et loca radiis solaribus plurimum exposita perrepserat inspiciendo et inquirendo herbas et alia, quibus doctrinae suae copias augeri posse arbitrabatur.' Quibus laboribus febrem vehementissimam nactus, insuper equi calce percussus vulnere neglecto Romam valde debilitatus vix deportatur. Post paucos dies 25. Sept. 1544 exspirat. Cf. etiam Hirsch, Lexikon der Aerzte II 78 sq.

19 Vide adn. 42 sub finem. **20** Caspar Boerner (circa a. 1490 natus, 1547 mortuus), rector scholae Thomanae 1522—1539 secundum G. Stallbaumium, die Thomasschule zu Leipzig (Lpzg. 1839) p. 17, 1518—1536 secundum A. L. Diemerum, C. Börner (Lpzg. 1817) p. 12 sq. Praeter hos v. I. Fellerum in Catal. codic. MSCtorum biblioth. Paulinae, Lips. 1686 p. 1—59; Io. Aug. Ernesti, elog. C. Borneri, 1740; F. W. E. Rost, Was hat die Leipziger Thomasschule für die Reformation gethan? Lpzg. 1817 p. 33—39 et p. 66 (catal. operum Borneri); Baumgarten-Crusium, de G. Fabricii vita, Misen. 1839 p. 28 sqq.; Acta rectorum universitatis studii Lipsiensis edit. a F. Zarncke 1859 p. 121, 155, 197, 276 et saepius. Bornerum Fabricius Lipsiae audiverat in academia Horatium et Prudentium interpretantem et ab eo una cum Meurero ad scholam Thomanam 'collabora-

toris' loco admissus erat; in epistolis Fabricii passim (num. 47. 50. 52 B.-Cr.) gratae eius et honorificae sententiae leguntur. Etiam vitam eiusdem et epicedion scribere voluit, sed publici iuris facere destitit; quibus de causis non constat (v. Schreberi vitam G. Fabricii p. 43 sq.). **21** V. p. 1 et adn. 3.

22 Egid. Misnerus Misnensis, fidus Borneri minister 'quique illi per duodecim integros annos etiam de suo vivens servivit', memoratur etiam in Actis rector. univers. studii Lipsiensis edit. a F. Zarncke 1859 p. 321, 327, 332 sq., 334 et saepius et in epist. Fabricii 44. 45. 47 B.-Cr.

23 *Ζητήματα Ἀλεξάνδρου τοῦ Ἀφροδισιέως φυσικά. Περὶ ψυχῆς. Ἠθηκά*... Quaestiones Alexandri.. naturales. De anima. Morales ... — iam sequuntur reliquorum libellorum tituli eo ordine quem Agricola indicat — (Venetiis in aedibus Barth. Zanetti.., aere vero et diligentia Io. Franc. Trincaveli) MDXXXVI. Etiam Fabricius bibl. gr. V 654 ed. Harles. exemplaria a se inspecta omnia manca fuisse dicit, id quod de Bybliothecae Regiae Berolinensis exemplari ipse confirmare possum. Cf. S. F. W. Hoffmanni Bibliographisches Lexikon I² 114.

24 De rebus metallicis, quae his in epistolis commemorantur, si quis accuratius scire velit, quid Agricola docuerit, opera eius eo volumine comprehensa adeat, quod Basileae apud Frobenium a. 1546 hoc titulo excusum est: G. Agricolae De ortu et causis subterraneorum Lib. V. De natura eorum quae effluunt ex terra Lib. IIII. De natura fossilium Lib. X. De veteribus et novis metallis Lib. II. Bermannus .. Interpretatio Germanica vocum rei metallicae, addito Indice fecundissimo. Nec sine fructu adhibebitur horum librorum interpretatio germanica adnotationibus instructa ab Ern. Lehmanno, Freyb. 1806—1812; 'Bermannum' idem singulari libello germanice versum 1806 edidit. **25** Ms. *virginem*. — Agricola in libro modo laudato p. 227: 'sulfur a sulfure differt colore. Aliud enim est luteum, quale reperitur in planicie illa sulfurosa a Campanis virgineum appellatum, quod purum sit, tametsi ex eo nominatum videri possit, quod virgines ut etiam mulieres eo faciem pingunt.' **26** Venas interpretatur Agricola 'Gänge' (p. 486), fibras 'Kluffte' (p. 478), commissuras saxorum 'das absetzen des gesteins' (de re metallica l. XII 1557, sub finem in 'rei metallicae nomenclatura'). Fibrae autem et commissurae, quae tenuissimae fibrae sunt, a saxorum venis eodem modo exeunt quo animalium (p. 39). **27** Ranae venenatae secundum Agricolam, de animantibus subterraneis, Basil. 1549 p. 70—72, ad id animantium subterranearum genus pertinent, quod intra terram gignitur et semper sub terra vivit. 'Altius intra terram gignitur et reperitur modo in venis, fibris, saxorum commissuris, *cum* hae excavantur, modo in saxis ita solidis,

ut nulla foramina, quae videri possint, appareant, cum cuneis dividuntur. Quo sane modo et Snebergi et **Mannisfeldi** fuit inventa' (p. 71 – 72). **28** Maltham Agricola interpretatur 'Köte' (p. 480 edit. Basil.): v. ibidem p. 229 = III 1 p. 201 sq. ed. Lehm. De maltha facticia vide epist. 6. **29** Alex. ab Alexandro ICti Neapolitani genialium dierum libri VI, Paris. 1532; v. Saxi onomasticon III p. 123 sq.

30 V. adn. 18. **31** Hieron. Schreiber Noricus († 1547), qui Cordum in Italiam proficiscentem comitatus est (Adam. vit. med. 1705 p. 19 et Will-Nopitsch, Nürnbergisches Gelehrten-Lexikon 3, 576. 8, 132 sq.); eius epistola de obitu Cordi ad Wolfg. Meurerum dat. Cal. Dec. 1544 a Meurero una cum Cordi mss. quibusdam Conr. Gesnero tradita est, qui eam in Cordi operum editione (a. 1561) s. f. publici iuris fecit. **32** Haec de maltha facticia et lithocolla paene ad verbum in libro VII. (non IV., ut primum quidem disposuerat, v. infra) 'de natura fossilium' p. 325 redeunt. **33** Agricolam de rebus metallicis, quas terra Altenbergensis gignit, in 'Bermanno' qui primum ut videtur (cf. Jacobi p. 65) circa a. 1530 prodiit, 1546 recuso p. 36 disserere inveni.

34 De I. Sylvio medico († 1555) vide Sprengel, Gesch. d. Arzneykunde III p. 51 sq. et saepius; Roth, A. Vesalius 1892 p. 64 sqq. et saepius. **35** Nempe frater Iacobus, qui e quattuor filiis Wolfg. Meureri maioris natu, viri rei metallicae periti et in collegio iuratorum (Bergamtsgericht) ad res metallicas muneribus Altenbergae perfuncti, solus artis paternae successor erat (Adam. in vit. med. 1705 p. 110). **36** Kahlenberg apud Altenbergam. Agricola in edit. Basil. 1546 p. 59: 'tamen aliqui (lapides) sua sponte olent, ut geodes Misenus violam, propter terram quam amplectitur et a qua nomen invenit'; cf. Lehmann I p. 358 adn. 38. Aliter idem Agricola p. 175: 'At geodes Misenus et Berningeri lapis non ipsi olent violam, ut nec **Aldenbergii** saxi fragmenta, sed muscus qui eis adhaerescit'; cf. Chph. Meissner, Nachrichten von der Zien-Berg-Stadt Altenberg, Dresd. & Lips. 1747, p. 109, 125 sq. **37** Spinellam Agricola p. 298 inter carbunculos numerat; nunc Pyrop, Zirkon: Lehmann III, 2 p. 106 adn. 64. **38** Belloculum vocabulo corrupto apud recentiores eam gemmam nominari, quae a veteribus Beli oculus, Agricola p. 304 exponit; cf. p. 308 et Lehmann III 2 p. 108 adn. 86. **39** De Camerario et Fabricio arta amicitia coniunctis v. B.-Cr. p. 83 sq.

40 Schmid p. 14, Fabricius epist. 23 B.-Cr. **41** Universitatis rectoris munere.

42 Fabricius inde ab a. 1539 quattuor per annos et dimi*dium una cum* Wolfg. de Wertheris, iuvene nobili, cuius curam *et institutionem* Fribergo avocatus susceperat, totam fere Italiam

peragravit. Wolfgangus ille Wertherorum stirpe Beuchlingiana oriundus, anno 1519 natus est et primum inde ab a. 1532 studiis Lipsiae se dedit, ubi et Wolfg. Meureri doctrina et consuetudine utebatur. Patre a. 1536 mortuo ad hereditatem suscipiendam Beuchlingiam rediit; sed mox a. 1539 ad studia continuanda iter in Italiam, domicilium litterarum et bonarum artium quasi mercaturam, facere instituit et Fabricium comitem sibi adsumpsit. V. Albinum, Historia von dem . . Geschlechte derer . . von Werthern . . Lpzg. 1705 p. 48–50 et Baumgarten-Crusium in vita Fabricii p. 35 sqq., qui ad narrationem suam ipsum chronicon gentilicium adhibuit. Fabricius, qui iuvenem illum propter eruditionem magni aestimabat ('Itinera' Basil. 1547 p. 5 et apud Albinum p. 52), illius auctoritate permotus est, ut illud iter diligenter describeret, eique ipsi librum de urbe romana his quoque temporibus non inutilem, fratribus autem Philippo et Antonio 'Itinera' dedicavit. Praeterea de Fabricii itinere auctor est Albinus, Meisznische Land vnd Berg-Chronica . . Dreszden 1589 p. 363 et in historia Wertherorum p. 48 sq., cuius narratio satis accurata cuivis legenti primo obtutu probabitur et breviculae Leutingeri memoriae (in operibus Francof. 1729 I 627) omnino praeferenda esse videbitur, ubi inter se dissentiunt. Cum autem etiam apud Baumgarten-Crusium itineris descriptio p. 40 sqq. hic illic vel corrigi vel suppleri a nobis possit, a consilio nostro non alienum esse iudicamus et itineris stationes et litterarum invicem scriptarum, quae adhuc exstant, seriem proponere. 23. 4. 1539 Beuchlingia profecti 17. 5. Patavium pervenerunt. — 26. 5. epist. 7 B.-Cr. ad Meurerum Patavio data est ('. . salvus Patavium perveni'); 24. 8. 1540 epist. 8 ad eundem ex eadem urbe. Haec est sine dubio ea epistola, quam Fabricius se scripsisse (epist. nostra 9) testatur pridie quam a Meurero epistola quaedam, omnium quas in Italia accepisset prima, sibi reddita esset quamque ne frustra exarasset, iis litteris inclusisse, quas Patavio 27. 8. 1540 ad Meurerum dedit a nobis publici iuris factas. Cum autem in epist. 8 dicat: 'quod si mutua esse debet literarum missio, ego tuas merito iam expectabam, quas elicere statim atque Patavium perveni primis ad te datis (scil. epist. 7) conatus sum', inde efficitur primitias Fabricii litterarum italicarum ad Meurerum sine lacuna servatas esse. — 25. 8. Meureri litterae Patavium Fabricio adportatae sunt, ad quas epist. nostra ex urbe Patavio 27. 8. Lipsiam ut videtur data respondit. Non multo ante Venetias excurrerant (epist. nostra). — Ao. 1541 etiam Bononiae commorati sunt in studiosorum album relati. 'Bononiae bis fui' scribit Fabricius in epist. quadam apud Schreber. p. 50: scil. primum a. 1541, iterum eodem anno vel sequenti Patavio Romam profecti; ibi fuit tertium, cum inde

Patavium redirent (cf. 'Itinera' p. 47). — 12. 8. 1541 Patavio relicto Wolfg. de Werther cum aliis sine Fabricio (cf. Fabricium in Itinerum libro p. 5 et Albini historiam Wertherorum p. 48) Insubriam et Liguriam, Mediolanum et Genuam visit; 4. 10. Patavium rediit. — 31. 10. 1542 (v. etiam 'Itinera' p. 18) Wolfg. de Werther comitante Fabricio Romam pervenit, ubi usque ad 18. 3. 1543 substiterunt. Inde unum per mensem Neapolin excurrerunt; 'Iter Neapolitanum' Fabricii (in Itinerum libro p. 18—24) subscriptionem habet: 'XI. Cal. April. Neapoli 1543'. Ipso mense Aprili Romam reverterunt; 'Iter Romanum secundum' i. e. narratio reditus Neapoli Romam (in Itinerum libro p. 21) subscriptionem habet: 'VI. Cal. April. Romae 1543.' — Maio mense profectioni dato 1. d. Iun. rursus Patavium intraverunt; 'Iter Patavinum' i. e. reditus Patavium narratio (in Itinerum libro p. 33) terminatur sic: 'Patavii Cal. Iunii 1543'. — Unde secundam excursionem Venetias fecerunt; inde data est epist. 9 B.-Cr. 'ex aedib. Cassandrae apud S. Fantinum 26. 8. 1543', cuius inscriptio est '. . Meurero Germano . . a Padua in divinali in casa di Madona Piza', quae 27. 8. accepta est. 'Si adventum nostrum', scribit Fabricius, 'expectare potes, nos tibi solvemus (summam quandam pecuniae); sin minus, faciemus id quod iusseris.' Brevi ergo Patavium redire cogitabant, Meurer inde proficisci. Ibidem epist. 10 B.-Cr. 30. 8. 1543 scripta est 'Volfgango Meurero . . Patavii', eodem die accepta, qua petit: 'Quae tibi reliqui, ea colligata ad me mitte cum Vertero brevi redituro', scil. Patavium; nam paulo infra pergit: 'Quae . . accepisti post discessum meum, apud te retine, donec ipse adveniam . . .' — Mensibus Sept. et Oct. 1543 in reditu in Germaniam consumptis 10. 10. Beuchlingiam deverterunt. Fabricius patriam urbem Chemnicium 24. 10. revisit, ut scribit Agricola epist. nostra 1. — Meurer etiamtum in Italia remansit; 10. 2. 1544 Patavii Agricolae litteras 1. 1. 1544 scriptas accepit (v. inscriptionem epist. 1) et 31. Martii inde litteras ad artium facultatem Lipsiensem dedit, quae in Cod. dipl. Saxoniae regiae XI p. 565 excusae sunt. Reditum eius felicem congratulantur Agricola epist. 29. 7. 1544 (num. 2) et Fabricius epist. 11 B.-Cr. 16. 8. 1544. Rediit igitur Meurer non multo ante finem Iulii. **43** Laz. Bonamicus Patavii rhetoricam et litteras antiquas profitebatur; ei Werther ab Ioh. Pflugio, postea episcopo Numburgensi, diligenter commendatus erat (Albinus, hist. Wertherorum p. 48). Aliud eius aliquando in colloquio cum Fabricio habito dictum a Matth. Dressero, Afranae rectore 1574—1581, traditur. Bonamicus enim, cum alios Germanorum viros doctos non ita magni aestimaret, unum Melanchthonem excepit, de quo 'Certe', inquit, 'ille homo loqui incipit' (v. Schreber. p. 57). Fabricius lectio-

nes eius Horatianas audivit (v. Fabricii Horatii editionem Lips. 1571, in epistola dedicatoria B 3a et epist. dedic. ad argumenta et castigationes Horatii). Diem supremum a. 1552 obiit, de qua re Fabricius pristinae defuncti amicitiae memor Meurerum litteris 13. 5. 1553 datis certiorem fecit. **44** Paulus Manutius, Aldi maioris filius, tum annum aetatis XIX. egit. Ciceronis epistolae a. 1533 ex eius officina prodierunt (Renouard, annales de l'imprimerie des Alde [3] 1834 p. 108). Vide Fabricii epist. 105 B.-Cr. et Schreber. p. 57—61. **45** V. Fabricii epist. 9 Pet. **46** De his tabulis pictis nil adhuc indagare licuit. **47** V. adn. 42. **48** Quem nos ex manu cognovimus.

49 Fabricii fratrum tum inter vivos erant Blasius, Iacobus, qui tunc Argentorati apud Io. Sturmium bonis litteris operam navavit, Andreas, qui a. 1552 inde a 24. Iunii Northusae degit, tum inde a 19. Mart. 1553 Vitebergam in Melanchthonis hospitium se dedit. V. Schreber. p. 13 sqq.; I. A. Müller, Versuch . . II p. 51 sqq.; Baumgarten-Crusium p. 13 sqq. 94 sq.; Peter. I p. 1—3. **50** Ao. 1552 mense Iunio pestilentia Misenae primum in suburbiis saevire coepit, ita ut Fabricius in timore esset, ne schola clauderetur (epist. 90 B.-Cr., 18—20 Pet.); post paucos dies, cum morbus contagiosus etiam in scholam Afranam ascendisset, die 19. (Fabricius epist. 91 B.-Cr.) sive 20. Iunii (idem in rerum Misnic. libr. VII, Lips. 1569, p. 206) discipuli dimissi sunt. Lectiones unum fere per annum interruptae initio demum Maii 1553 rursus haberi coeptae sunt. — Fabricius otio dato primum quidem in patriam proficisci volebat, postea visitare Wertherum (epist. 91 B.-Cr.), quo consilio propter viarum pericula, ut ex nostra epistola 11 apparet, desistere coactus est. Quare 29. Iunii Misena profectus Fribergam se contulit, inde 18. Iulii litteris G. Cummerstadii (v. Baumgarten-Crusium p. 88) Calcareuthum ad Rederam (Kalkreuth an der Röder apud Grossenhain), ubi ille praedium habebat, vocatus est, ut filios huius litteris moribusque institueret (epist. 19 Pet.). Inde epistolae ab eo datae octo exstant, epist. 19—21 Pet., nostra 10, 92—94 B.-Cr. et nostra 12 (3. Oct. 1552—30. Apr. 1553). Calcareutho etiam Chemnicium excurrit; unde epist. ad Meurerum 18. 4. 1553 dedit (num. 11). Ad reditum ei Cal. Maiae constitutae erant (epist. 10). Misenam iam reversus ad Meurerum 13. Maii (epist. 95 B.-Cr.) scribit: 'Deo gratias ingentes ago, qui me ad meum tugurium post asperam tempestatem incolumem reduxit', et paulo infra 'Odi illud rus, quod me meis voluptatibus privavit'. Cf. epist. nostram 10, 20 Pet., 93, 94 B.-Cr.: 'Privavit me haec solitudo multorum amicorum literis et cupio esse cum bibliotheca et frui laboribus literatis', etsi etiam ruri se doctiorem a rusticis *discendo factum* esse per iocum concedit (epist. 95 B.-Cr.).

51 Cf. Fabricium in rer. Misnic. libris p. 207 et epist. 19. 20 Pet. **52** Io. Chentmannus (Kenntmann), 1518—1574, vir medicinae et rerum naturalium peritus, primus scholae Afranae medicus (v. Peter. adn. 1 ad epist. 26), postea inde ab a. 1562 physicus Torgaviensis, saepius in litteris a Fabricio amicissime laudatur (ex. c. 30. 36. 72. 98. 99. 109 B.-Cr.; de eius nuptiis, quas Fabricius epithalamio (Poem. sacr. Basil. 1560 p. 588 sqq. excuso) celebravit, v. p. 76. 80. 81. 87). V. Baumgarten-Crusium p. 98; G. H. Iacobi p. 55 sq. 58; Hirsch, Lexikon der Aerzte 3 p. 454. **53** Duos libros vel duas partes: 'Wie man sich.. vor . . der Pestilentz behüten . . sol . . jtzund auff das newe widerumb vbersehen . . Durch Ioh. Kentman . . Wittenb. . . 1568'; praefatio data est Misena 20. Sept. 1552. Editionem priorem ego non vidi. V. de hoc libello Fabricium epist. 87 B.-Cr. **54** Pag. 85. **55** Agatha Altermann, † 19. Sept. 1552. Idem prodigium pro malo omine non sine superstitione acceptum apud Fabricium tribus praeter hanc epist. locis legitur: epist. 23 Pet., 104 B.-Cr., rer. Misnic. libris Lips. 1569 p. 207, ubi misella illa muliercula vel per quadriduum sanguinem sudasse fertur. **56** V. Fabricii epist. 5 B.-Cr. **57** Adamus Siberus; v. adn. 78. **58** Sleidani manu scriptam, ni fallor. De Sleidano Fabricii amico v. Peter. adn. 7 ad epist. 43, Fabricii epist. 16. 72. 74 B.-Cr. **59** Ulricus Mordeisenius s. Mordisius, Mauricii Saxoniae electoris cancellarius et Augusto a consiliis intimis, quocum Fabricio etiam in Italia societas erat (v. Schreber. p. 52. 328 sq., Baumgarten-Crusium p. 88 sq.), vel Io. Mordesius, qui epist. Fabricii 84 B.-Cr. commemoratur.

60 Epist. 99 B.-Cr.: 'Iordanis filius mihi satisfecit, quod totum beneficium debeo D. Badehorno.' Gregorius Iordanes vel Iordanus, bybliopola Lipsiensis, de quo v. Acta rectorum universitatis studii Lipsiensis ed. a Frid. Zarncke 1859 p. 318, librorum vecturas Fabricio praestitit, si quos vel Curio et Oporinus Basileenses, quorum ex officina compluria Fabricii scripta prodierunt, auctori tradendos commiserant (epist. 80. 95 coll. 99 B.-Cr) vel ipse Fabricius occasione data, cum Iordanes ad nundinas Francofordiam proficiscebatur, sibi transferri volebat (epist. 22 B.-Cr.). **61** Henr. Petreius (Petri) typotheta, qui in Fabricii litteris saepius (ex. c. 84. 92 B.-Cr., epist. in B.-Cr. vita Fabr. p. 100, ep. 23. 25 Pet.) laudatur, apud quem Fabricii Vergilius 1551 et Horatius 1555 et alia excusa sunt. **62** Margarita, filia Christophori Blasebalgii (Walther fol. d 3 a). V. Fabricii carmina nuptialia in poem. sacr. Basil. 1567 I p. 412 et Basil. 1560 p. 576.

63 Fabricius epist. 74 B.-Cr. a. 1550: 'Schetto gaudeo *prospectum* esse; si ipse sibi non deerit, recte poterit suis *udiis consulere*; egit mihi verbosissimis litteris gratias',

epist. 97 B.-Cr. (5. 6. 1553): 'Desideratur adolescens aliquis eruditus ac gravis in mortui Scheti locum et a me petitur consilium. Pueri iam adulti sunt et auctoritate regendi . . .'

64 Cf. epist. 92 ad Meurerum 11. 3. 1553: 'Ad Gesnerum exiguum mitto fasciculum tuis et D. Badehorni literis additum, quem ut cures Francofordiam mittendum certo cum homine te oro.' Cf. epist. 93, nostram 12, epist. 96. 97. 65 Agricolae de peste l. III (Basil.) 1554; praefatio Kempnicio 7. Cal. Mart. 1554 data est. Quo de opere Fabricii testimonia ex eius epist. collegi haec; epist. 92 B.-Cr. 11. 3. 1553: 'Hodie scripsi ad Georgium Agricolam, ut si quid prae manibus habeat de peste et eius curatione, ut id mihi significet, nihil enim intellexi de ea materia, quamvis mihi omnia sua communicaverit..'; epist. 93 (23. 3. 1553): 'Agricola nuper ad me scripsit se editurum fuisse librum de peste ante Cal. Martias, nisi impeditus fuisset opere metallico . . . Exquisivit a me pene curiose, quis mihi retulerit de se, quod prae manibus illum librum haberet, fortasse ea de causa, ut inveniret cui laborem suum fructuose inscriberet'; epist. 94 (27. 4. 1553): 'Librum de peste ante Cal. Aug. parat edere et tibi eum ante editionem legendum mittet; superabit caeteros si non copia, certe methodo, quae mihi pene exquisita videtur ex iis quae legi'; cf. epist. 101.

66 De Marco Bretschneidero v. Max Hoffmann, Pförtner Stammbuch num. 197.

67 Io. Tetelbachius pastor ad St. Afram ab a. 1552—1554, cuius anni 15. Ian. Misenam reliquit, pastor et ephorus Chemnicii futurus (epist. 29 Pet.). V. de eius vita Peter. adn. 2 ad epist. 20. Fabricius eius consuetudine familiarissima privatus ad Meurerum epist. 109 B.-Cr. magno cum maerore sic scripsit: 'Habebam quem adhibebam in consilium Matthiam Dabercusium, habebam Ioannem Tetelbachium quorum sermo suavis ac gravis multas mihi dempsit molestias, quod nunc demum sentio.' 68 Cf. Fabricii epist. 94. 95 B.-Cr. et rer. Misn. p. 208 (ad a. 1553): 'Mense Maio in ludum . . redire iussi adolescentes . . . Erigitur iuxta alius ludus, in quem ex Academia Lipsiense studiosi theologiae translati sunt.' 69 Matth. Marcus Dabercusius, inde ab a. 1543—1553 'conrectoris' loco in ludo Afrano constitutus erat. De eo v. inprimis Peter. adn. 3 ad epist. 22. Is iam a. 1552 ab Io. Alberto principe Megalopolitano ad ludum Suerini aperiendum invitatus (cf. Fabricii epist. apud Schreber. p. 76 pridie Cal. Iun. 1552 scriptam) Misenam VII. Id. Iunii 1553 reliquit (secundum Fabric. rer. Misnic., Lips. 1569, p. 208). V. epist. 22 Pet.: 'Nolui tam(en) prolixe . . scribere plenus aegritudine cum ob alia . . tum ob discessum optimi viri D. Matthiae, quo mihi in hac urbe nihil accidit gravius, sed tam imbecilli animo fuit, ut non ausus

sim illi aliquid significare. In illius causa quam egi fideliter, quid impetraverim, tu coniice, cum videas illum abeuntem egenum, qui sex et viginti annos in nostra patria docuit pietatem et literas.' Cf. Camerarii epist. ad Fabricium 3. Non. Martii 1552 in Camerarii epist. famil., Francof. 1583, p. 510.
70 Georgius Cumerstadius quattuor Saxoniae electoribus ab intimis consiliis de ludorum electoralium fundatione egregie meritus est. V. Peter. adn. 3 ad epist. 19, apud eundem epist. 26. 34, Schumacheri vitam Ad. Siberi p. 56 sqq., Acta rectorum universitatis studii Lipsiensis edit. a F. Zarncke 1859 passim. **71** Petrus Thomae, Dabercusii loco 'conrector' 1553—1588 (v. Schreber. in Collegarum St. Afrae serie, sub finem vitae Fabricii, Peter. ad epist. 37 adn. 11, epist. 94 B.-Cr.).

72 Quas ut sibi mitteret, epist. 11 rogaverat.

73 De Esr. Rudingero Bambergensi (Rüdinger, 1523—1590) inde ab a. 1547 collega priore scholae Portensis (Bittcher, Pförtner Album p. 546) v. Strobel, Neue Beytr. zur Litt. II p. 5—78 et Allg. Deutsche Biogr. 29 p. 470. Illud munus, quod a Meurero scholae Portensis inspectore acceperat, sub finem anni fere 1548 deposuit, ut Camerarii filiam in matrimonium duceret, id quod ei, si in munere suo permansisset, per scholae Portensis leges magistros praeter rectorem reliquos caelibes esse iubentes facere non licuisset. Tum autumno a. 1549 Melanchthone suadente rector scholae Cygneanae creatus est. **74** Ioach. Lochmann, ut mihi videtur, a. 1547 —1548 collega prior Portensis (v. Bittcher l. c. p. 546), non Ioach. Camerarius (filius), qui in 'Verzeichniss d. Hss. im Preuss. Staate' I 1, 1 p. 182 sq. intellegitur. Is enim tredecim annos natus 15. Apr. 1548 in scholam Portensem receptus est (Hoffmann, Pförtner Stammbuch p. 7). Idem initio sequentis epistolae commemoratur, is autem Ioachimus, qui sub finem eiusdem epistolae nominatur, Camerarius pater est, Rudingeri popularis; uterque enim Bambergensis est. **75** Rudingerum, cum Lipsiae studiis se daret, Meureri doctrina et consiliis usum esse etiam Strobel l. c. p. 7 adnotat.

76 Caspar Landsidelius, Lipsiensis (Bittcher p. 10).

77 Caspar Iungermann, postea iuris professor Lipsiensis, cui Ioach. Camerarius filiam quartam nomine Ursulam despondit (Adami vit. philos. 1705 p. 121).

78 Adamus Siberus, Schoenavia apud Cygneam oriundus, 1516—1584, inde ab a. 1550 ludi Grimensis rector primus. De quo v. H. A. Schumacher, Hist. vitae Ad. Siberi, Grimae (1719); Schreber. p. 315 sqq.; Peter. adn. 5 ad epist. 3; Süss, Gesch. d. Gymn. zu Freiberg, part. alt., progr. Frib. 1877 p. 39—42. — *Meurerum* saepius per litteras consultabant, velut Camerarius (*v. Virorum* doctorum epistolas selectas edid. Th. Fr. Frey-

tagius Lips. 1531 p. 79 sq.) et Fabricius epist. 42. 107. 109. 134 B.-Cr., qui etiam pestilentia per Misniam grassante ἀλεξιφάρμακον ab eo accepit (epist. 87 ibidem). **79** Sive is erat Nic. Petschius sive Hier. Zorn, qui illi a. 1555 successit (v. Schumacher. ante vitam Siberi).

80 Helii Eobani Hessi (1488—1540) vitam optime descripsit C. Krause duobus vol. Gothae 1879 editis.

81 Hieron. Baumgartnerus (Baumgaertner) senior Norimbergensis, 1498—1565, virorum doctorum velut Camerarii quoque fautor. V. Ioach. Camerarii de vita H. Paumgaertneri edid. notisque illustravit G. E. Waldau Norimb. 1785; Will-Nopitsch, Nürnb. Gelehrten-Lexikon III 120 sqq., VII 106 sqq.; Seidemann in Zeitschrift f. d. hist. Theol. 44 (1874) p. 544 sqq.; Allgem. Deutsche Biogr. II p. 168 sq. — Eob. Hessus Erphordia Norimbergam transmigraverat, ubi praeceptoris munus ad scholam St. Aegidii eodem anno constitutam a Melanchthone senatui Norimbergensi commendatus susceperat, ibique usque ad annum 1533 mansit. Tum Erphordiam revertit. **82** 'In P. Virgilii Maronis Bucolica ac Georgica adnotationes' Hagenoae 1529 editae sunt; v. Krause II 26 sq. **83** Ioach. Camerarius, Eobani ad St. Aegidium collega eique arta vitae et litterarum fructuosa necessitudine coniunctus (v. Krause II p. 31—41), s. f. a. 1526 Albertum comitem Mansfeldensem latini interpretis loco ad Carolum V. in Hispaniis tunc commorantem comitaturus itinere subito interrupto iam mense Ianuario a. 1527 Norimbergam insperatus revertit (Adami vitae philos. 1705 p. 121 et Krause l. c. p. 32). — Versus illi ad Baumgartnerum in Sylvarum libro VI. (operum farragine priore 1539 fol. 285^b—286^b) exstant, quibus occasione per Ioachimi absentiam data petit, ut sibi ab illo relicto frequentius scribat neve Musas suas spernat; longinquum esse tempus, ex quo Norimbergae versetur necdum ullam utilium rerum copiam diu exspectatam dari. Cuius epistolae argumentum et occasionem cum Camerarii reditus turbasset, iam ne frustra scripta esset neve vota irrita fierent, Camerario transmisit Baumgartnero tradendam hac adnexa epistola (in Camerarii de H. E. Hesso narratione, Norimb. 1553, fol. K4 a): 'Dixi nuper tibi, Ioachime, si forte meministi, de quodam carmine, quod absente te luseram statimque missurus eram, ⟨ni⟩si mature (an 'materiam' scribendum?) et quod optabamus argumentum, immo occasionem tuus adventus intercepisset. Descripsi tamen et implevi hodie, nam ultimi versus XIV deerant, tibique misi, ut et videas absentem te nobiscum fuisse et si videtur adhuc transmitti posse, id tuo consilio fiat, ut quod adventus tuus de argumento detraxit consilium rursus adstruat. Sed obtestor . . te, ut ex animo *me scripsisse sentias . . .'* Cui sententiae contraria ea est, qua

in epist. nostra se etiam reclamasse confirmat, ne Camerarius carmen illud traderet. 84 Ita modice habitabat, ut inter alias causas, quibus ipse et Camerarius a studiorum crebriore coniunctione prohiberentur, conclave suum angustum et numerosiores quam pro re familiari circumstrepentes in angulis liberos conquereretur (v. epist. in Camerarii narratione de E. Hesso fol. G 7^b, anno 1527 scriptam; nam 'fortunae fratris [Camerarii] adversus casus', de quo cf. eandem narrationem fol. F 6^b G 6^b, ibi commemoratur: haec autem a. 1527 facta sunt secundum Adamum vit. philos. 1705 p. 121). 85 Item 'ex Musaeo nostro' epist. ad Camerarium in eius 'Narratione' H 5^b et aliae datae sunt.

86 Durero 6. April. 1528 mortuo E. Hessus iam postridie, ut ex hac epist. intellegitur, in epicedio scribendo occupatus erat, quod eodem anno Norimbergae editum etiam in 'Illustrium.. virorum memoriae scriptis epicediis' 1531 (cf. Krause II p. 48 adn. 2) et 'Operum farragine priore' 1539 f. 150^b sqq. legitur (v. Krause II p. 47—49), Lutheri epist. ad Hessum in H. E. Hessi epistol. famil. lib. XII, Marp. 1543, p. 268, Hessi epist. Io. Lango 'ex Nurenb., Altera Quasi modo 1528' (ibid. p. 78): 'Nos (scil. Hessus) illi scripsimus τὸ ἐπικήδιον quod mittimus *sed valde tumultuarie*, sic enim exigebatur. Celebraturi sumus hominis memoriam meliori aliquo elogio brevi, in quod et docti viri alii operas locabunt.' 87 Huius epistolae argumentum ex codice Dresdensi C 109d (saec. XVI), quem descripsit Seidemann in Zeitschr. f. d. hist. Theol. 44 (1874) p. 544—546, quo etiam aliarum ad Hier. Baumgartnerum aliosque epistolarum argumenta continentur, publici iuris fecit v. Hout, Zum Briefwechsel des ältern H. Baumgartner, progr. Bonn. 1877 p. 19.

88 Haec epistola Maio vel Iunio, attamen ante 15. d. Iunii a. 1530 scripta est, quae temporum ratio ex comitiorum Augustanorum et Caesaris tum exspectati, qui eo 15. Iunii advenit, commemoratione constat; Melanchthon autem et Spalatinus, quorum litteras adhuc non servatas Hessus ante octiduum, ut ait, Augusta Vindelicorum datas accepit, eo 2. Maii pervenerant (v. Schirrmacher, Briefe und Akten zu der Gesch. des Religionsgesprächs zu Marb. 1529 und des Reichstages zu Augsb. 1530, p. 466 sq.). Priorem Spalatini ad Hessum epistolam invitatoriam mox altera secuta est (v. Hummel, epist. ined. LX, 1777, num. 23). Tandem post Caesaris adventum (cf. Krause II p. 69) Hesso contigit, ut Augustam viseret. Inde Norimbergam redituro Melanchthon epistolam ad Camerarium 13. Iulii scriptam (corp. ref. II 192, cf. Krause II p. 77 adn. 1) commisit. Postridie (14. Iulii) Hessus Norimbergam revertit, *unde ad Vitum* Theodorum epist. eam dedit, quae in epist. *famil. p. 214* est (cf. G. Schwertzell, H. E. Hessus p. 75 adn. 75).

Quodsi v. Hout l. c. p. 19 in codicis Dresd. C 109d argumentis ei epistolae, quae sine temporis indicatione apud Hummelium p. 68 exstet, quam post reditum Hessus scripsit, 1. diem m. Iulii 1530 adscriptum esse confirmat, hoc per errorem factum esse iis, quae nos disputavimus, evincitur. — 'Augustae non omnino frustra fui' ad Baumgartnerum Hessus scribit (Hummel p. 68 sq.); 'nam et amicos istic veteres et diu non visos inveni et novos etiam feci et auro insuper donatus sum . .' (v. Krause p. 73 sqq.). Ceterum v. narratiunculam de convivio quodam, cui Hessus Augustae intererat, sat venustam apud Strobelium Miscell. II p. 21 sq. — Accedat igitur haec epistola ad alias precibus completas, quibus annui salarii angustiis et vita supra rem familiarem sumptuosa coactus Baumgartneri benevolentiam adire solebat (v. epist. 23. 25. 27—31 Hummel, Camerarii narrat. C 6^b, v. Hout p. 19, Krause II p. 108). In epist. 29 Humm. pro 'pictoriatum', quo in verbo editor haesitabat, 'victoriatum' scribendum est. **89** V. Krause p. 111, qui epist. Melanchthonis 21. 5. 1530 ad Hier. Baumgartnerum (corp. ref. II 58) laudat: 'De Eobani negotio si potest exspectare exitum . . conventus, facilior ut spero res erit, sed si vos putatis nunc statim agendam rem esse, sequar vestrum consilium. Scribes igitur.'

90 Ioh. Müllner: v. Camerarii narrat. C 6^b et Krause II p. 41 sq.

91 3. Maii 1533 (Krause II p. 139). **92** Barth. Bern. de Feldkirchen (Velcurio), prof. Vitebergensis, inde ab a. 1518 pastor Kembergae apud Vitebergam. V. I. H. Feustking, Leben B. B. v. F., Viteb. 1705. **93** Ea scil. condicione, ut centum et quinquaginta florenorum annuum salarium ei numeretur (Camerarii narr. P 5^b et Heerwagen, Zur Gesch. d. Nürnberger Gelehrtenschulen, progr. Norimb. 1860 p. 31 sq.). **94** H. e. senatui Norimbergensi commendasti (v. Krause II p. 8 et epist. famil. p. 38. 267). **95** Hessus ad Io. Megobachum (epist. famil. p. 58) haec scribit: 'Et Nurenbergenses mei offerebant ducentos et domum liberam, si voluissem apud ipsos manere, etiam nulli functioni alligatus, tantum ut poetam haberent. Sed iam condixeram his ὄνοις (scil. Erfordiensibus) ego stupidior quovis ὄνου ἵππος. Et tamen poenituit me semper ab eo tempore me non hos potius fefellisse quam istis non obtemperasse.' Haec verba Krause II p. 133 sq. non serio accipienda esse, sed iactanter et gloriose dicta arbitratur, quoniam cum senatus Norimbergensis decreti, quo Hessus ex urbis officio dimissus est, profecto laconica et inurbana brevitate parum consentirent. Sed nostra epistola omnis dubitatio tollitur; cur enim ad Melanchthonem amicissimum vera non scripserit, causa videtur esse nulla. Item Krause p. 136 Eobano se Vitebergam *vocatum esse Erfordiensi* Georgio Sturtiadae postridie natalis

Christi 1532 (epist. famil. p. 135) affirmanti fidem denegat. At idem Melanchthoni nostra epist. asserit, ipsi Vitebergensi.

96 Hessus ad Camerarium, Erphurdiae Id. Martii 1534 (Camerarii narr. K 8b): 'Ego bona spe sum fore, ut honesto praemio huc, si modo voles, perducaris'; iam commemorat, quae hac in re a se acta sint, et pergit: 'Quare, mi Ioachime, rescribe . . possisne annuis centum contentus esse et cum tuis in hanc civitatem demigrare. Quod utinam velis, Ioachime, posse enim nihil dubito . . .' **97** Fortasse quia iam tum rei publicae Erfordiensis libertati damno futurum esse arbitrabatur, si ab episcopi Moguntini dicione avelleretur, id quod civium discordia adaucta ab eorum machinationibus, qui a Saxoniae Hassiaeque partibus starent, iam pertimescendum esse Camerario 13. 1. 1535 nuntiavit (Camerarii narr. L 7b et Krause II p. 148). **98** Haec scripsit, quia cavere volebat, ne Vitebergenses se a re evangelica defecisse inde suspicarentur, quod inter professorum Erfordiensium, qui veteri ecclesiae favebant, numerum se recipi passus esset. Cf. epist. famil. p. 17: 'Nam et iam testatus apud illos sum (scil. amicos papisticos) stare me ab evangelica veritate, a qua nulla vi humana avelli unquam queam, et esse Luthero amicissimum atque id semper facturus sum . .'; cf. Krause II p. 152 sq. **99** Vitus Theodorus (Veit Dietrich) Norimbergensis, a. 1533 Vitebergae philos. facultatis decanus; Strobel, Nachricht von d. Leben u. d. Schriften Veit Dietrich's, Alt. et Norimb. 1772, eiusdem 'Neue Beyträge' III 2 p. 117—130, van Hout, Zum Briefwechsel des älteren H. Baumgartner, p. 7 sqq.

100 De Paulo Melisso sive P. Schede (1539—1602) videantur M. Adami vitae philosophorum (usi autem sumus vitarum omnium editione a. 1706); S. Stenius, duae orationes funebres: I. Dan. Tossanus, II. P. Schedius Melissus, Haidelb. 1602; P. Zitter, vita P. Melissi Schedii, edita a Gutenaecker, Wirceb. 1834; Er. Schmidt in Allg. Deutsche Biogr. 21 p. 293 sqq.; Goedeke, Grundriss II² p. 518. 107. 173; Reifferscheid, Quellen zur Geschichte des geistigen Lebens in Deutschland während des 17. Jahrh., vol. I (Heilbronn 1889) p. 995. 1026. — Hier. Baumgärtner, Hieronymi filius (1539—1602), patris defuncti loco a. 1565 in senatum Norimbergensem receptus, academiae Altorfinae ab a. 1578 scholarcha optime meritus (v. Will, Nürnberger Münz-Belustig. II p. 180; Bibliotheca Norica Williana I 2 p. 253 sq.; Will-Nopitsch, Nürnberger Gelehrten-Lex. III 124, VII 111; Reifferscheidii adnot. ad. epist. 2, 45). **101** Physices professor apud Collegium Casimirianum Neostadiae in Palatinatu a. 1578 conditum (v. Hautz, Gesch. d. Univers. Heidelberg *II 114. 143*; Jöcher-Adelung II 527; Georgi, Allgem. *Bücherlex. I p. 338*). **102** Scil. Rauenbuschi (v. adn. 108).

103 Haec epistola inter a. 1584 et 1590 scripta est, h. e. post iter Norimberga in Galliam susceptum et ante mortem Fortunati Crellii Carinthi. Cum autem Melissus scribat: 'ceterum quod in oda quadam mea, antequam ad Rhenum contenderem, rogavi, non amplius rogo', haec non multo post profectionem illam scripta esse videntur.

104 'Anno 1584 Melissus Norimbergae degebat, id quod ex epistola ad M. Crusium eodem anno die XVIII ab ingressu solis in aquarium scripta (v. M. Crusium in Germanograecia p. 132) patet' (Zitter p. 28). Inde iterum in Galliam profectus est (Adam. p. 208); cf. I. Lipsi epistol. select. III cent. Antverp. 1601 p. 96. Lutetia Paris. 14. Aug. 1584 ea epistola Melissi data est, quam Reifferscheid p. 964 edidit. **105** Leonh. Heusler, de quo v. Gessner, Buchdruckerkunst und Schriftgiesserey, III 326. Is Casparis Cropacii poemata a Melisso edita a. 1581 excudit. **106** Caspar Cropacius Pelsinensis, Melissi quondam Cygneae condiscipulus eique postea Viennae coniunctissimus (Adam. p. 207), urbis patriae syndicus, a. 1580 mortuus (Joecher I 2213), cui nonnulla Melissi carmina dedicata sunt in Schediasm. poet. 1574 p. 57 = I. Dousae et P. Melissi Musae errantes 1616 fol. V 8, Schediasm. poet. [2]1586 II 63, III 41. 185. **107** Caspar Cruciger, Casparis filius (1525—1597), theologus (Allg. Deutsche Biogr. IV 622).

108 Mich. Rauenbusch inde ab a. 1574 diaconus ad St. Laurentium, a. 1585 mortuus (cf. Will-Nopitsch, Nürnberg. Gelehrten-Lexicon III p. 267, VII 224, Io. Muellnerum apud Strobel, Miscell. IV p. 205). **109** Melissus, dum Viennae commoratur, a Ferdinando imperatore a. 1564 inter nobiles relatus est. Eius insigne tria lilia et cygnum habens ex. c. in 'Schediasmatis poeticis' 1574 et in 'Schediasmatum reliquiis' 1575 p. 270 delineatum est, quo in opere p. 269 sqq. invenitur 'Lilietum cygneum, in quo leguntur clariss. virorum epigrammata in Melissi viri equestris insignia eiusque effigiem scripta'.

110 In Italiam Melissus iter fecit a. 1577 ibique haesit non uno in loco usque per aestatem anni 1580 (Adam. p. 208).

111 'Semper-Francus' (cf. Melissi schediasm. poet. 1574 p. 184 = Dousae et Melissi Musae errantes 1616 Dd 4), Melrichstato oriundus. **111[a]** Cf. Schediasm. poet.[2] 1586 III p. 277 et II p. 22 ad Mich. Rauenbuschum:

> An mihi sunt salvae crescuntque tepentibus auris,
> Quas cultor verno consevi tempore vites,
> Post veteres positas umbracula grata Penates?
> Id mihi tam volupe est resciscere . .

et ad eundem III 199:

> Suaviter has aedes habitanti cum mihi tecum,
> *Rauenbusche*, vetus ius foret hospitii,

Cura vigil Baumgartneri nova limina priscis
Addidit et Genium iussit adesse novum.
Carmine non signem postes, ut candida semper
Posteritas istanc norit amicitiam?

112 Georg. Palma (1543—1591), Dr. med. et ab a. 1568 ad medici ordinarii officia Norimbergae admissus, uxorem habuit Hier. Baumgartneri filiam nomine Helenam (Will-Nopitsch III 112, VII 92. 111). Eundem esse credo Georgium Palmam 20. Apr. 1591 defunctum, in quem scripta nonnulla epitaphia exstant in Scip. Gentilis oratione habita in funere H. Donelli, Altorphi 1591 p. 46—49. **112a** Is etiam in Melissi epist. Lut. Paris. 25. Iulii 1584 (in Willii comm. epistol. Norimb. P. III p. 52) commemoratur. **113** Lutetiae in suburbanis hortis prope aedes Iani Ant. Baifii habitationem commodam et amoenam elegit (Adam. p. 208). **114** Barones Io. Christoph. et Georgius Erasmus Tschernembl, qua de gente v. Kneschke, Deutsches Adels-Lexikon IX 295, 11. Nov. 1580 in albo academico Altorfiensi inscripti sunt (Will, Gesch. d. Univ. Altdorf p. 142); Io. Christophorus etiam rector a. 1582/3 creatus est (v. ibid. p. 36), cuius rei in memoriam exstat Io. Fabricii orat. gratul. Nor. 1582 excusa (Will, Nürnberg. Gel.-Lex. I 378). Ab eodem Tschernemblio orationem recitatam dant 'Panegyres Altorfianae' Alt. 1581 fol. T 4. Melissi in eum carmina v. in Schediasm. poet.[2] 1586 I 129 (Tschernemblio itinera per Europae civitates inituro), 144, III 261 et saepius, eiusdem in Georgium Erasmum I 146, III 261. In epist. Lutetia 14. Aug. 1584 data (apud Reifferscheid. p. 964) Melissus scribit haec: 'Praefectum ago duorum baronum Austriacorum, Zernemblii filiorum (*in margine:* In his Georg. Erasmus Zernembel, qui Genevae obiit exul), qui antea Altorfii operam dederunt literis. Pater est pincerna hereditarius Carniae et Marchiae Sclavonicae, imperatori a consiliis . . . Per hiemem cum baronibus meis heic subsistere decrevi, dum tempus vernum navigationi in Angliam ventos propitios conciliet.' Cum Melissus a Io. Casimiro principe, Palatinatus administratore, per litteras Heidelbergam vocatus Lutetia Parisiorum relicta iter eo faceret — advenit autem a. 1586 —, barones illi duo ei comites erant (Adam. p. 208).

115 Bybliothecae Palatinae Melissus a. 1586 praefectus est. **116** Genevae Melissus per annos 1568 usque ad 1571 fere diutius post variam peregrinationem substitit, nisi saepius per commorationis intervalla huc illuc excurrebat (Adam. p. 207). **117** Melissi in Stephanum carmina et Stephani responsa inserta sunt 'Sched. reliquiis' 1575 velut p. 22, 'Schediasmat.' 1574 p. 100. 146. 157 (= 'Musae errantes' 1616 *Z 7, Aa 7, Bb 5*) et 161, 'Schediasmat.' 1586 III p. 18. 67. 224.

225. 285. 290. **118** Excellebat Melissus, ut Adamus p. 209 narrat, et musicae scientia. De eius 'Historia de navicula vehente Christum et periclitante in mari . . Anno 1565', quam numeris musicis reddidit, et de 'Cantionum musicarum quatuor et quinque vocum libro uno, Viteb. 1566' v. O. Taubert, P. Schede, Torg. 1864 (progr.) p. 3 sq. 7. **119** Cum ipso Orl. Lasso Melissus amicitia coniunctus erat, ut eius carmina testantur. **120** Postquam ex Italia a. 1580 rediit, Augustae Vindel. nonnihil commoratus suasu Hieron. Wolfi Norimbergam se contulit (Adam. p. 208). **121** De Melissi carminibus in Hieron. Baumgartnerum v. Mele sive odae ad Noribergam et septemviros reipub. Norib. 1580 p. 20—22. 38—40, Schediasm. poet. [2] 1586 III p. 112. 238. 247, Musae errantes fol. T 5. V 5.

122 Intelleguntur, credo, 'Meletematum piorum libri VIII . . Francof. per Hier. Commelinum 1595'. **123** Huic 'Schediasm. poet.' editioni annus 1586 in omnium trium librorum titulis adscriptus est. **124** Cf. Melissi epistolam anno 1589 exeunte vel 1590 ineunte scriptam ad Iacob. Brocardum (in Hummeli epist. historico-ecclesiasticarum . . centuria, Halae 1778, num. 49): 'In ore iam omnium versatur blaterator ille vaniloquus, quem Schmidlinum seu Vulcanum vulgo cognominant. Is in colloquii cum (Io.) Pistorio, qui ad Pontificios (1586) defecit . . nuperrime instituti congressu (Badensi 18. et 19. Nov. 1589) a Iacobo (III.), Marchione Badensi, desertore patriae religionis (a. 1590 religionem catholicam adsumpsit) interrogatus, docte indoctene disputare vellet, 'Indocte' respondit . . . Nostis quidem vos Noribergenses hominis loquentiam et garrulitatem, adde etiam impudentiam summam, sapientiae autem parum aut nihil omnino neque audiistis neque vidistis, ut mirum proinde sit magnos Principes ab isto nequissimo stulto ita infatuatos paucis abhinc annis fuisse, ut tantum ei et auctoritatis et licentiae et, quod pessimum est, auri argentique facti infecti concesserint.' Schmidlinus ille idem est atque Iacobus Andreae (1528—1590), cancellarius Tubingensis academiae et praepositus, de quo v. Allg. Deutsche Biogr. 1, 436 sqq., Herzog Realencycl. I [2] p. 383 sqq. De colloquio Badensi v. Allg. Deutsche Biogr. 26 p. 200, Herzog XI p. 704 sq., Kleinschmidt, Jacob III. p. 49 sqq. **125** Nicol. Selneccerus (1530—1592), a. 1568—1570 et 1574—1589 Lipsiae superintendens, a. 1589 Melanchthonianis auctoribus munere suo et Saxoniae finibus depulsus est (Allg. Deutsche Biogr. 33 p. 687 sqq.).

126 De Iano Grutero (3. Dec. 1560 — 20. Sept. 1627) tria exstant aequalium scripta: Iani Gruteri de la Gruytere pie denati Manes novis Threnodiarum alloquiis ab Ern. Stida Erfurtensi collectis salutati, placati, Erphordiae 1628, cuius *tamen copia mihi non* erat; Vita, mors et opera maximi viro-

rum Iani Gruteri recensita a Frid. Herm. Flaydero, Tubingae 1628; Panegyricus Iano Grutero scriptus a Balth. Venatore, Genevae 1631. Panegyricos quidem omnes illi scribere voluerunt, sed Venator, ut ait quidam Francogallus, 'apprend peu de choses et ennuye à mort'. Hac maxime triade recentiores biographi nituntur, inter quos laudandi esse videntur: Paquot, Mémoires pour servir à l'hist. litt. des dix-sept provinces des Pays-Bas . . XVI (Louvain 1769) p. 1—42; v. d. Aa, Biogr. woordenboek der Nederlanden VII (1862) p. 506 sqq.; F. A. Eckstein in Ersch. et Gruber. tom. 95 p. 356 sqq.; Bursian in Allg. Deutsche Biographie X 68 sqq. Gruteri epistolas permultas edidit Alex. Reifferscheid in 'Quellen zur Gesch. des geistigen Lebens in Deutschland während des 17. Jahrh.' I (Heilbronn 1889). De Gruteri mss. post Heidelbergam direptam maximam partem Romam et Monacum translatis v. Ruland in Serapeo XV p. 100 sqq. et XVIII p. 209 sqq.; Félix v. Hulst, Jean Gruytere, Liège 1847, equidem non novi. — De Conr. Rittershusio (Rittershausen, 25. Sept. 1560—25. Maii 1613) primarius fons est vita a Georgio, Conradi filio, conscripta, quae in Salviani operum a Conr. Rittershusio publici iuris factorum editione altera Norib. 1623 est et adnotationibus instructa in Zeidleri vitis professorum iuris academiae Altdorffinae I (Norimb. 1770) p. 150 sqq. Praeterea de eo auctores laudandi sunt Will-Nopitsch, Nürnbergisches Gelehrten-Lexikon III (1757) p. 349 sqq., VII (1806) p. 273 sqq.; Eisenhart in Allgem. Deutsche Biographie 28 p. 698 sqq.; Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I p. 414 sqq. De Rittershusii carminibus nonnullis manuscriptis v. Ruland in Serapeo 18 p. 211. — Eo tempore, quo hae quas edidimus litterae scriptae sunt, Gruterus post multorum annorum peregrinationem (v. adn. 128) Heidelbergae inde ab a. 1592, in albo academico 19. Maii inscriptus (Toepke, Matrikel II p. 160), consederat et professoris bybliothecariique munere fungebatur, Rittershusius Altorfii, ubi vitae maximam partem degit a. 1584 etiam inter cives academicos receptus, apud academiam lectiones inde ab a. 1591 institutionum et ab a. 1598 pandectarum habuit. Epistolarum inter eos invicem missarum nullas inveni nisi Gruteri 17. Nov. 1710 (apud Hummel. epist. ined. LX p. 48—50) et Rittershusii responsum Altorph. 7. Mart. 1611 (ibid. p. 50 sqq.) et epistolam anni fortasse 1607 (apud eundem p. 101—104); 'permultae' epistolae Gruteri Rittershusio datae in I. C. Wolfi consp. supell. epistol. p. 123 recensentur. Cum autem Zeidler l. c. p. 225 se Iani Gruteri ad Rittershusium datas epistolas triginta tres in MS. habere affirmet, inde nostras epistolas numero totidem transcriptas *esse verisimilis* est coniectura. **127** Scil. amorem. **128** Iam *puer septem* annorum (Flayder p. 15, cf. Bayle diction. Roterod.

1697 p. 1315 adn. B et Nicéron mémoires p. s. à l'hist. des hommes illustres IX 389) Gruterus patrem Gualtherum persecutionem passum in exilium comitatus est (Venator p. 11 sqq.). Post varios errores in Britanniam traiecerunt sede capta Nortwichi (Ven. p. 18). Inde Ianus studiorum causa Cantabrigiam sese contulit (Ven. p. 30 sqq.). Pater Britannia, ubi per decennium vitam degerat (Flayder p. 15), post pacificationem Gandavensem (1576) relicta Middelburgi in Valachrorum insula consedit (Ven. p. 25), qua in urbe eum iam a. 1577 commoratum esse et Ianum filium cum patre eodem anno paulo post 'als Passant' congressum esse satis constat (I. W. Te Water, hist. v. h. verbond en de smeekschriften der Nederl. edelen, II. stuk, Middelb. 1729 p. 432). Lugduni Batavorum Ianus in studia humaniora incubuit, ubi per septennium (v. epist. 32) Donellum, qui 1579—1588 Lugduni docuit, et Lipsium audivit; tum patrem Middelburgo Antverpiam profectum (Ven. p. 24) secutus est, sed Alexandro principe Parmensi Antverpiae obsidionem praeparante patris consilio in Galliam secessit. Iam locum loco per magnam Europae partem mutavit. Italiam visit (Flayder p. 17), Rostochium circa a. 1586/7, Poloniam, Vitebergam a. 1589, Dantiscum 1590/1, iterum Vitebergam a. 1591/2, unde missus, quia formulae concordiae subscribere noluerat, a. 1592 vel initio 1593 Heidelbergae errorum portum tandem invenit (v. Ed. Winkelmanni 'Urkundenbuch d. Univ. Heidelb.' II p. 166 sq.). **129** Quo consilio Gruterus destitisse videtur (v. epist. seq.). **130** Scipio Gentilis (1563—1616), professor iuris Altorfiensis, de quo v. Will-Nopitsch I 522, V 398, Allg. Deutsche Biographie VIII 576, Stintzing Gesch. der deutschen Rechtswiss. I 392. **131** Hier. Commelinus a. 1560 Duaci natus e Gallia exul aufugit et a. 1587 Heidelbergae officinam typographicam condidit. Anno 1597 exeunte eum mortuum esse disertis verbis Thuanus in hist. sui temporis tom. V Francf. 1621 p. 478 testatur et in albo academico Heidelbergensi adnotatum est Hieron. Commelinum cum uxore et tribus liberis pestilenti contagione autumno 1597 perisse (Toepke, Matrikel II 191). Quod eius mortem Casaubonus Iac. Gillotto epist. III. Id. Mart. 1598 data et Ios. Scaliger eidem epist. XVI. Cal. April. 1598 (ed. 1628 p. 151) nuntiat, inde falso in Baillet, jugemens des savans, nouv. édit., I 2 (Amstel. 1725) p. 61 adn. 6, Commelinum a. 1598 mortuum esse concluditur. Officinam autem Iudae Bonutio affini reliquit. V. Allgem. Deutsche Biogr. IV 426.

132 'L. Annaeus Seneca a M. Ant. Mureto correctus . . . Accedunt seorsim animadversiones . . I. Gruteri opera . . 1594'; animadversiones eodem anno in lucem prodierunt. **133** Paquot p. 7 citat Abrah. Ortelium, qui 9. Iun. 1593 I. Lipsio haec nuntiat (*in Burmanni syll.* epist. I p. 162 sq.): 'Appellatus erat etiam

ab iisdem (ordinibus Leydensibus) I. Gruterus et, ut scribit ipse mihi, etiam ivisset; at retinetur a Comite Palatino qui eum adlegit in professorem historiarum publicum', quae verba hac adnotatione explicantur: 'In actis academicis 17. Febr. 1598 reperio Ioh. Heurnium rectorem exposuisse senatui statutum esse, ut deinceps ex concilio professorum ordinariorum novi professores vocarentur, et deliberatum, an non necessaria esset professio ethices, dignusque qui ad eam vocaretur Ianus Gruterus ... Sed vocatum hunc non reperi.' **134** Nic. Taurellus (1547—1606), inde ab a. 1580 prof. med. et phys. Altorfiensis. V. Io. Iac. Baieri biographias professorum medicinae Altdorf. p. 1—14; Will-Nopitsch IV 5, VIII 322; X. Schmid aus Schwarzenberg, Nic. Taurellus, Erlangen 1860; Goedeke, Grundriss II² p. 115. **135** Fortasse dicit Taurelli carmina funebria, quae magnorum aliquot clarorumque virorum memoriae dicavit, Norib. 1592, quae apud Nopitsch commemorantur.

136 Helenae, filiae Georgii Staudneri, superintendentis Solisbacensis, quod est Palatinatus superioris oppidum, quam Rittershusius 14. Nov. 1592 in matrimonium duxerat. De carminibus ad nuptias celebrandas editis v. Zeidler p. 163 adn. g et 179 gg. **137** A. 1591 Sept. 25 mortui. Cf. epist. Gruteri ad Scip. Gentilem Viteb. 3. Oct. (1591) datam (inter epist. Gudianas p. 349): 'iam enim unus et totus sum concinnandae orationi etiam funebri in honorem Illustrissimi Principis ac Electoris Christiani ... Id enim munus a Senatu Academico mihi demandatum.' **138** V. adnot. 186. **139** Cf. Gruteri epist. Scip. Gentili Heidelb. 20. Iul. 1593 scriptam inter epist. Gudianas p. 350. **140** Quam Gruterus epist. priore commendaverat. **141** Emblemata physico-ethica h. e. naturae morum moderatricis picta praecepta observata et vario conscripta carmine. Nor. a. demum 1595 edita. **142** Mullerus Pragensis 17. April. 1593 in studiosorum numerum Heidelbergae receptus est (Toepke, Matrikel II p. 166). **143** Fortasse Gruteri soceri. Is fuit Henricus Smetius a Leda (1537—1614), Friderici III. electoris Palat. medicus et professor Heidelbergensis; de quo v. Venator. p. 118 sq., v. d. Aa 17, 2 p. 752 sq., Goedeke Grundriss II² p. 114. Eius exstant carmina Heidelb. 1594 edita, 'Iuvenilia sacra', 'Iuvenilia miscella', 'Parentalia'. **144** Nath. Chytraei (1543—1598) fastorum ecclesiae christianae libri XII, Hanoviae 1594. Chytraeus sive Kochhafe, Davidis frater, professor linguae latinae et inde ab a. 1567 poeseos Rostochiensis erat, qua ex urbe sub finem a. 1592 propter Calvinismi suspicionem missus rector gymnasii Bremensis a. 1593 creatus est; v. Allg. Deutsche Biogr. IV 256, Goedeke Grundriss II² p. 106.

145 *Io. Posthius* (1537—1597) inde ab a. 1585 Heidelbergae Ioannis Casimiri administratoris et Friderici IV. electoris

archiatrus; v. Allg. Deutsche Biogr. 26, 478. **146** 'In obitum Principis . . Ioannis Casimiri, Comitis Palatini ad Rhenum, Administratoris in Electorio Palatinatu, Bavariae Ducis etc. Libitina, Ecloga Fr. Iunii, Biturigis. Heidelb. A. Chr. 1592' (v. Fr. W. Cuno, Fr. Iunius, Amst. 1891 p. 282 et 398 sqq., quo loco epicedium illud repetitum legitur). De Iunio v. adn. 155.

147 Petrus W. (Wesenbeck, 1546—1603) a. 1592—1598 professor iuris Altorfiensis; v. Zeidler I p. 140, Will-Nopitsch IV 223, VIII 390, Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I p. 714 sq. **148** Sive Portunus, deus propitius. **149** Immo vero epist. 95, in edit. Gruteriana p. 158 v. 43; adnotatio ad hunc locum, qua item illud 'prosectum' commendatur, p. 682 legitur. Comparantur etiam illi loci Festi (s. v. exta p. 78 edit. C. O. Muelleri) et Plauti Poen. II 2 'Dii illum infelicent omnes', omittitur tamen coniectura ad Lactantii locum divin. instit. IV 27. **150** In Henr. Smeti 'Iuvenilibus miscellis' Heidelb. 1594 p. 133 reperio carmen inscriptum 'In I. Gruteri et I. Smetiae nuptias 25. (non 26.) Iulii a. 1592 celebratas'.

151 Cum Lipsianum dicendi genus imitabatur. **152** V. adn. 186. **153** 'I. Gruteri suspicionum libri IX . ., in quibus varia scriptorum loca, praecipue vero Plauti, Apuleij et Senecae philosophi emendandi, illustrandi conatus. Witebergae . . 1591.'

154 In epist. Heidelb. 20. Iul. 1593 data, in epist. Gudianis p. 350. **155** Franc. Iunii (Du Jon, 1545—1602) Biturigis, a. 1584 theol. prof. Heidelbergensis, postea (1592) Leidensis (v. de eo Fr. W. Cuno, Fr. Junius der Ältere, Amst. 1891), altera coniux Elisabetha Carputia (1552—1587) erat, Io. Carputii (Brettae urbis praefecti, 1492—1569) filia, cuius sororem Ioannam (1534—1589) Henricus Smetius, Gruteri socer, in matrimonium duxit. Vide Smeti 'Parentalia' et 'Iuvenilia miscella' (Heidelb. 1594) p. 87—89. 180 sq. 185—187 et Cuno, Fr. Iunius, p. 219 sq. **156** Haec pertinent ad Milit. glorios. III 2, 30 'Itan vero? ut tu ipse me dixisse delices', quem ad locum in Taubmanni Plautin. comoed. edit. a. 1605 p. 711 adnotatur: 'Schop(pius) e MSS. Cam(erarianis) l. dedices . . . At ita haberi in iisdem MSS. negat Gruterus, sed delices, cui hercule credendum.' **157** Ioach. Camerarii quondam codices Plautini, vetus B et decurtatus C, quos ab eius filiis Gruterus circa a. 1594/5 commodatos accepit (v. adn. 208). Idem postea, inter a. 1602, ut videtur, quo anno bybliothecae Palatinae praefectus erat, et a. 1605, ut a Camerariis emerentur, auctor erat; v. Ritscheli opusc. II p. 126, qui paulo infra ita pergit: 'Das Verdienst nun, auf die Wichtigkeit der . . Pfälzer Handschriften . . von neuem hingewiesen, sie für die nothwendige Grundlage aller Plautinischen Kritik erklärt und sie zum ersten Male *mit einiger Genauigkeit* . . verglichen zu haben, dieses

unbestrittene Verdienst hat Janus Gruter . . .' **158** Secundum id, quod Gruter ipse priore epistola proposuerat. **159** V. adn. 150.

160 De Cristoph. Colero (Koehler) Franco, Kitzinga oriundo, ICto et philosopho, quae constant non ita multa, invenies in Chph. Sam. Martini sched. de Coleris claris, Vitemb. 1718, fol. B 1, Apini vit. prof. philos. Altorf. p. 83—87, Will-Nopitsch I 214, V 187, apud Halm in Allg. Deutsche Biogr. IV 400, in Epist. Gudian. p. 200. 202. 231. 234. 252, nostris epist. 40. 45. 50. 55. — Ubi a. 1593 degerit, nescitur. Eius 'pericula Iuvenalia' — sic enim codicis lectionem 'Iuvenialia' correxi — lucem vidisse non videntur, quorum nullum usquam vestigium inveni. **161** Fortasse Queroli editio, quae ex typographeo H. Commelini a. 1595 prodiit et sic inscripta est: 'Plauti Querolus sive Aulularia, ad Camerarii codicem veterem [B] denuo collata . . . Additae P. Danielis, C. Rittershusii, I. Gruteri notae.' **162** In Queroli quidem editione non exstat. **163** Andreas Wechel ex Gallia exul a. 1573 Francofurtum pervenit ibique 1581 mortuus est. Heredes erant Claude Marny, Iean Aubri, Ioannes Andreae filius. V. Gessner Buchdruckerkunst IV p. 119, Graesse Litt. III 1 p. 169. 237, Reifferscheid p. 1003. — De Io. Wechelii successore v. epist. 38.

164 Gruterus, ut saepius his epistolis verbis Plautinis utitur, ita hic Pseudoli v. 301 illud 'oculata die vendere' denotat. Item de Wechelianis epist. 38. **165** Peter Fischer et Henr. Tack (cf. Cod. nundin. Germaniae liter. bisecul. ed. Gust. Schwetschke p. 26). **166** Scil. ad Senecam; uterque liber in titulo a. 1594 prae se fert. **167** Melissi Meletematum etiam Goedeke Grundriss II² p. 107 nullam editionem nisi Francof. 1595 recenset. **168** Epigrammata in Donelli 4. Maii 1591 defuncti honorem scripta Gruterus Rittershusio epist. 40 inclusa transmisit; v. adn. 250. **169** Facta Viteberga Heidelbergam sive intra ipsam Heidelbergam; v. etiam epist. 50.

170 Filium Sept. mense Rittershusio fatali natalique anni 1593 natum. Exstat, ut ex Nopitschio VII 274 scimus, 'Genethliacon Henrici Conradi F. Rittershusii et Psalmi CXXVIII. epica paraphrasis honori . . Conr. Rittershusii a Scip. Gentili scripta . . Nor. 1593'. **171** Plauti Camerarianum veter. cod. B. — De Rittershusi mscr. Camerarii collatione v. Ritscheli opusc. II p. 130. 136. **172** Trinummi II 2, 40: 'Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonae'. Hunc versum Rittershusius in Queroli editionis praefatione, qua Gruterum appellat, significat. **173** Ille versus deest Taubmannianae *Plauti editioni* primae, redditus tamen secundae et tertiae (*cf. Ritscheli* opusc. II p. 132) addita hac adnotatione: 'Ita

hic versus legitur in MS. pr(iore, h. e. vetere B) Cam(erarii). Plane germanus: . . Observatus primum omnium a C. Rittershusio.' Haec fortasse contra Scioppium dicta sunt, qui in Suspect. lection. 1597 II 13 sic: '. . versum . . nusquam in editis libris reperias. Ego princeps ex altero Camerarii codice eum . . restitui.' Addere liceat Scioppii Plauti exemplar, in quo Camerarii codicum varias lectiones inscripsit, in bybliotheca Guelpherbytana servari (secundum Schweiger. Handb. d. class. Bibliographie II 2 p. 763). **174** Scil. Camerarius, qui in Plauti editione hunc versum omisit. Idem Ritschelius in opusc. II p. 110 de Camerario iudicium tulit his verbis: 'Endlich steht Camerarius rücksichtlich der Textesconstitution noch dem dritten Tadel bloss, dass er mit . . Unachtsamkeit . . eine ziemliche Anzahl von einzelnen Versen gänzlich ausliess, die entweder schon in allen frühern Texten standen, oder aus seinen beiden trefflichen Handschriften hätten eingesetzt werden können und sollen . .'; nonnullos quoque versus ut parum honestos omisit, ut idem Ritschelius p. 115 et 132 animadvertit. **175** Ad Querolum typis edendam. **176** Marquardus Freherus (1565—1614) inde ab a. 1596—1598 Pacii loco professor iuris Heidelbergensis, deposito deinde isto munere gravioribus curis et negotiis ab Electore Friderico IV. adhibitus tandem vicarius praesidis curiae creatus est. Vid. Allgem. Deutsche Biogr. VII 334 et Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I 680. — Quattuor Gruteri carmina 'In nuptias Marq. Freheri cum Weiera' in Delit. poet. Belg. II p. 843 sunt, Melissi epithalamium 'primis nuptiis' decantatum apud Adamum in Vitis Germanorum Iureconsultorum Heidelb. 1620 p. 473. Cath. Wiera (Wier sive Weyer) erat, ut scribit ipse Freherus Scip. Gentili non multum post nuptias celebratas epist. 4. Febr. 1594 data (in Epist. Gudianis p. 345—347), 'literato genere nata, patre archiatro Treverico (nomine Henrico, v. Joecher IV 1952), avo paterno Ioanne illo Wiero (v. Joecher l. c. et Hirsch, Lex. d. Aerzte VI 255), auctore de lamiis (Basil. 1577) et praestigiis daemonum (Basil. 1563), archiatro Iuliaco, materno Iohanne Echtio, viro eruditissimo et medico eximio Coloniae' (v. Hirsch l. c. II 262). — Freherus epithalamia aliquot typis excudenda curavit (v. eius epist. ad Scip. Gentilem Ian. 1596 datam inter epist. Gudian. p. 347).

177 Priore epistola. **178** Ioach. Camerarii filius (1534—1598), inde ab a. 1564 physicus Norimbergensis, ex a. 1592 medicorum collegii Norimbergensis decanus. Plura v. apud Will-Nopitsch I 173, V 145. **179** Melissus poeta mense Sept. a. 1593 Emiliam, Lud. Iordani, consiliarii in dicasterio Elect. Palatini aulico, filiam in matrimonium duxit (Allgem. Deutsche Biogr. 21 p. 294). **180** Ex. c. Henr. Smetius, cuius epithala-

mium v. in eius 'Iuvenilibus miscellis' 1594 p. 140. **181** 'Emmetron in nuptias . . Electoris Frederici IV. . . et . . Loisae Iulianae . . Comitis Nassoviae: modulatum a P. Melisso Franco. Anno Christi MDXCIII. Mense Iunio. Adjecta sunt Epigrammata Posthij, Freheri, Gruteri, item Elegia Melissi quam scripsit calendis Ianuariis', 4° loco non addito (exstat in Bybl. Reg. Berol. sign. Xd 6455). **182** V. adn. 141. **183** Adriaan van der Burch (v. van der Aa II 1568); eius 'Farrago piarum similitudinum' Lugd. Bat. 1593 prodiit. **184** V. Reifferscheidii adn. ad epist. 6, 17; 159, 11 et Serap. 1854 p. 105. **185** Elegia Rittershusii, qualis nunc ante Gruteri Senecam legitur, hos versus habet:

Primus te claustris tenebrarum extraxit Erasmus,
 Aeternus Batavae gentis Erasmus honor.
Inde situm abstersit quo floret Pincia cive,
 Muretusque notas misit in ora virum.

Et Freheri nomen ea, qua Melissus voluit, syllabarum quantitate laudatur, et Suerini Plesseniique. — Erasmus Senecae opera Basileae 1515, Muretus Romae 1585/6 ediderunt, Ferd. Pincianus 'In Senecae philos. scripta castigationes' Venet. 1536. **186** Aliae erunt atque eae, quas adn. 153 commemoravimus, XXX libris comprehensae; de iis Gruter Camdenio 16. Maii 1616 sic scripsit: 'Subsecivis horis emendo augeoque XXX Suspicionum libros toties promissos; sed parum proficio destitutus vel socio vel instigatore vel adiutore laborum vel quod dicam nescio: adeo otium mihi iucundum est degeneratque in ignaviam mire desidem' (in Camdenii epist. p. 164) et idem Casp. Hofmanno, Tubingae 16. Febr. 1624 (in G. Richteri epist. sel. p. 549): 'ibidem absolvam monumenta ingenii mei semiperfecta, in primis . . XXX libros Suspicionum'. V. etiam nostras epist. velut num. 27. 29. 38. 40. 41. 42; Flayder p. 100; Venat. p. 96; Gasp. Schoppi verisim. p. 76; Gruteri epist. ad Scioppium in 'Monumentis pietatis et literariis' II p. 468; Reifferscheid p. 792; v. d. Aa VII p. 510; Eckstein in Erschii et Gruberi encycl. tom. 95 p. 358. Hoc ex opere excerpta duo tantum fragmenta publici iuris facta sunt; alterum liber decimus inscribitur in Miscell. Lips. novis III 3 p. 480 sqq., alterum 'Ex suspicionibus I. Gruteri in lib. Apul. de asino aureo' in Apulei editione Casauboniana, Lugd. Bat. 1614, II adnot. p. 105—119. **187** Fortasse idem est atque Mathaeus ab Hagen Antverpiensis, 15. Apr. 1588 Heidelbergae in studiosorum albo inscriptus (cf. Toepke, Matrikel II p. 138). **188** Lamb. Lud. Pithopoeus (Helm, 1535—1596), prof. poes. et eloq. Heidelbergensis, de quo v. van der Aa, biogr. woord. 15 p. 334 et 'Briefe von Heidelb. Prof. und Studenten' ed. ab *Herm. Hagen* 1886, p. 117 adn. 22. **189** Sigism. Melanchthon

(natus 1537), filius Georgii, Brettae urbis praefecti, Philippi fratris, 1560 prof. phys., 1562 med. prof. Heidelbergae factus. V. Schelhorn, vita Phil. Camerarii p. 192 sq.; theol. Studien u. Krit. 1830 p. 124; Hautz, Gesch. der Univ. Heidelberg II 50 et saepius. 190 Rittershusius consilium 'edendorum Psalmorum a diversis carmine redditorum et a se dispositorum' ceperat (v. M. Freheri epist. ad Scip. Gentilem, Heidelb. 1594, in eius libro de secretis iudiciis, Ratisbonae 1762, p. 92). Ipse Rittershusius non paucos Psalmos vel paraphrasi latina reddidit vel ad odas strenasque argumenta adhibuit (v. Goedeke, Grundriss II² 113, cuius tituli et ex Willii Nopitschiique operum Rittershusianorum tabula et aliunde, velut ex bybl. regia Berolin., augeri poterunt) idemque poeseos genus et Posthius (Goedeke II² p. 335) et Melissus periclitati sunt (ibidem II² p. 518: 'Di Psalmen Davids in Teutische gesangreymen . . gebracht . . .' Heidelb. 1572); Carolus Utenhovius (1536—1600, v. van der Aa 18, 2 p. 34) nil huius generis in publicum dedisse videtur. Etiam Novi Testamenti versio hollandica ei ab Ioechero IV 1753 falso adscribitur, quam ne ii quidem auctores, quibus Ioecherus usus est, ei impertiunt, quae ab Iano Utenhovio facta est (v. van der Aa l. c. p. 32). 191 Casp. Baumgartneri, Donelli discipuli, de quo v. Will III p. 125 sq., anniversaria in honorem D. Hugonis Donelli, Altorphii 1592 (cf. Zeidleri vitas prof. iuris I p. 63 adn. a).

192 De Georg. Mich. Lingelshemio v. inprimis Alex. Reifferscheidii 'Quellen zur Gesch. des geistigen Lebens in Deutschland während des 17. Jahrh.', vol. I (Heilbronn 1889), quo Lingelshemii, M. Berneggeri eiusque amicorum epistolae adnotationibus locupletissimis instructae continentur. 193 Hipp. a Collibus (sive a Colle, v. Colli, 1561—1612) Turicensis, inde ab a. 1586—1589 prof. iuris Heidelbergensis, deinde, cum interim Basileam abiisset, Heidelbergam a. 1593 reversus consiliarius et dicasterii in aula Electoris Palatini praeses factus est. V. Allgem. Deutsche Biogr. IV 405 sq. et Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I p. 392, Reifferscheid p. 1009.
194 Io. Iac. Baieri biogr. prof. med. Altdorf. p. 10: '. . omni labore et studio suo, in subtiliori praesertim philosophia, et veritate colenda, multum quidem odii et invidiae, parum autem lucri consecutus est, ut post obitum ipsius res angusta domi deprehensa sit; quemadmodum in Annalibus Acad. haud obscura eius indicia supersunt.' Vide, quae sequuntur. 195 Ioachimo (v. adn. 178) et Philippo (1537—1624, a. 1573 reipubl. et iudicii Norimb. consiliario, a. 1581 academiae Altorfinae procancellario facto); v. Will-Nopitsch I 176, V 147, Io. Ge. Schelhornii de vita, fatis ac meritis Phil. Camerarii . . Norib. 1740, Halm in Sitzungsber. der Acad. der Wiss. zu München, phil.-hist. Cl.,

III (1873) p. 241 sqq. **196** Cf. epist. 32. **196a** Hartmann Pistoris in Seuselitz et Hirschstein (1543—1603), qui etiam in epist. 45 laudatur, Papinianus Saxonicus propter iuris scientiam appellatus; v. Allgem. Deutsche Biogr. 26 p. 190 sqq.

197 Peredia et Perbibesia, provinciarum nomina iocose inventa, in Curculione v. 444. **198** V. adn. 144. **199** Scil. Casparis, de quo adn. 191. **200** Anno fere 1588 Donellus Lugduno Bat. Altorfium domicilium transtulit. **201** Nempe Rittershusii; cf. adn. 170. **202** Cf. adn. 176. **203** Davidis regii prophetae psalterium vario genere carminis latine redditum ab ill. principe . . Mauritio, Hassiae Landgravio . . Excusum Smalcaldiae (1589) et denuo ibid. 1593. **204** In Delitiis poet. Belg. II p. 800 sqq. tria carmina Gruteri 'Ad Eberh. Weihium de Mauricii Landgravii Psalterio' exstant. De illo v. Reifferscheid. epist. 97, 55 eiusque adnot. ad hunc locum, praeterea Jugler, Beytr. z. jurist. Biogr. II 2 p. 223 sqq.

205 Testamenti Ludovici ducis Württembergici, qui 18. Aug. 1593 diem supremum obiit.

206 Rittershusius enim Querolum versibus non distinctam edi iussit. **207** Id tamen non praestitit. **208** Eodem die, quo haec epistola scripta est, de Plauti codicibus ad Phil. Camerarium litteras dedit, quae in Schelhornii vita Phil. Camerarii legi possunt p. 186 sq.: 'Valde doleo D. Lingelsheimium ea (exemplaria Plautina) secum non attulisse, cum per vos iter faceret, sed, ut inquiebat, non aderat domi frater tuus nec mandata reliquerat, et (*pro* ut) per D. Wesenbecium mitti potuissent . . . obsecro te, obsecro fratrem tuum germanum, uti . . Plautos illos binos per mercatores vestrates curetis ad typographum meum Commelinum, qui Francofurti semper in nundinis.' Itaque Gruterus codices Plautinos ad suum usum post 9. Febr. 1594 et ante vel intra a. 1595 accepit. Nam de hoc anno cum Ritschelio (opusc. II p. 126) plane consentimus.

209 Fortasse ad Gruteri Senecam, ita mutatam, ut Grutero in epist. 32 placuerat. **210** V. adn. 260. **211** Gruteri Iustinus editus non est. **212** M. van der Hagen, coll. epist. 33. **213** Gentili.

214 Primam coniugem, Ianam Smetiam, de qua v. Reifferscheid p. 755, ut sub huius epist. finem legitur, in puerperio exstinctam conqueritur. Quare quod Venator p. 83 unam ex quattuor Gruteri uxoribus per casum infelicem ex domus fenestra pronam decidisse refert, haec de prima coniuge dicta esse Gruteri biographi etsi miro consensu, tamen per apertum errorem arbitrantur. Immo ad tertiam, nomine Cath. Stockeliam, pertinent, quam Gruterus in epist. 61 praecipiti casu *10. Aug. 1607* sibi ereptam esse amico nuntiavit. **215** Rittershusii *ad Senecam*; cf. epist. 32. **216** Eadem Gruterus in

Animadversionum ad Senecam praefatione p. V. **217** Qua Rittershusius Camerarios de Plauti codicibus adierat; cf. epist. 34. **218** Queroli editionem principem a Petro Daniele curatam, Parisiis ex off. Rob. Stephani 1564.

218a Cf. Martial. VII 32, quem Gruterus paucis annis post edidit. **219** Vitalis Blesensis. **220** Scil. Queroli editione transmissa; cf. epist. 34. **221** Excusa est Danielis praefatio, praeterea duo carmina in Rittershusii editionis laudem scripta.

222 Iulii Pauli Patavini sententiarum receptarum ad filium libri quinque, cum interpretationibus Aniani, denuo recogniti, multis in locis aucti, emendati et illustrati, praefixa quoque Pauli vita, studio et opera Conr. Rittershusii. Norib. 1594 (sec. Zeidlerum I p. 179). **223** Ad Senecam. **224** Gentilis.

225 Haec epist. eo anno, quo Rittershusii Querolus ex officina prodiit, scripta est, i. e. 1595. **226** 'Oppiani .. de venatione lib. IV, de piscatu lib. V, cum interpretatione latina (non metrica, sed verbali), commentariis et indice rerum .. studio et opera C. Rittershusii .. Lugd. Bat. ex officina Plantiniana apud Franciscum Raphelengium 1597.' Cuius prooemium de vita Oppiani mense Iunio a. 1588 datum est, praefatio ad commentarium Kal. Sept. a. 1588, admonitio ad lectorem et praefatio ad scholia Kal. Sept. a. 1595, epistola dedicatoria mense Decembri a. 1595. Rittershusius enim iam a. 1588 Oppianum suum Henr. Stephano excudendum tradiderat, sed post sex annos illo opus aggredi cunctante tandem repetiit et Lugdunum Plantinianis misit (v. Hummel, Neue Biblioth. fasc. 3 p. 301—303). Quare Oppianum ad herum suum rediise complures per annos missum Gruterus dicit. Will, Nürnb. Gelehrten-Lex. III p. 356, iam superiorem aliquam editionem Oppiani Rittershusiani exstare coniectavit, id quod negat Hummel l. c. p. 304. Ibidem (p. 299—310) additamenta inedita ex ipsius Rittershusii exemplari descripta exstant. V. etiam Rittershusii epistolas, quibus ipse de Oppiani sui fatis disserit, et aliorum iudicia a Zeidlero I p. 186 adn. mm collecta, praeterea epist. Rittershusii Ios. Scaligero Altorfii 28. Mart. 1595 et pridie Kal. Sept. 1596 inscriptas, in Burmanni syll. II p. 325. 327. **227** Rittershusius in prooemio: 'Cognovi deinde .. a duobus clarissimis Galliae luminibus (Io. Brodaeo et Bodino) iam olim Cynegetica esse scholiis quibusdam illustrata ..'; Halieutica Bodinus non explicavit, commentarium ad Cynegetica a. 1555 edidit. **228** Id tamen in editione non invenitur; v. epist. 40. **229** Commelinus, de quo Gruterus in epist. ad Scip. Gentilem 20. Iul. 1593 (in epist. Gudianis p. 350) sic: 'Ita nos distinet Seneca, qui nec proximis prodibit nundinis, ut saltem servet Comelinus illud suum antiquum *Δώσων.*' **230** Franc. v. Ravelingen (1589—1597), a. 1565

Christ. Plantini Antverpiensis corrector eodemque anno gener factus, inde ab a. 1585 Plantiniorum officinae Leidensi praefuit et apud academiam linguae hebraicae et arabicae lectiones habuit (v. Allgem. Deutsche Biogr. 27, 281). — Is postea Rittershusii Oppianum excudendum tamen curavit. **231** Pag. 99—114, prooemium ad Rittershusium (p. 99 sq.) et notae, quibus Rittershusii commentarius hic illic completur augeturque. **232** Petrus Wesenbeck, Petri F. (v. adn. 147), 'Ienae natus, qui cum patre a. 1592 d. 21. Sept. civibus academicis Altorffinis annumeratus est, uxorem duxit a. 1601 Mariam, D. Abelii Strasburgeri Consiliarii Norici filiam' (ex Adr. Beieri Wesenbecii patris vita, apud Zeidlerum I p. 147; cf. Will-Nop. IV 226, VIII 390).

233 Haec ad Isidori editionem pertinent, quae a. demum 1605 prodiit, hoc quidem titulo: '.. *Ἰσιδώρου .. εἰς τὴν ἑρμηνείαν τῆς θείας γραφῆς ἐπιστολῶν βιβλία τέσσαρα* .. quorum tres priores cum latina interpretatione Cl. V. Iac. Billii Prunaei primum ante annos XX (1585) Parisiis prodiere, iam vero sub prelum revocati, MSC. Cod. Bavar. ope plurimis in locis insigniter aucti, suppleti, correcti sunt. Quartus nunc primum exit novus ex eodem Cod. Bavar. .. descriptus et latinus factus a C. Rittershusio .. (Heidelb.) Ex officina Commeliniana 1605.' De huius editionis fatis v. quae Zeidler I p. 195 adn. ccc collegit. Unde elucet Rittershusio codicis illius Bavarici, cuius ope Isidorus tot epistolis augeri potuit, sub a. 1603 finem vel a. 1604 initio M. Velsero intercedente copiam factam esse. Itaque si huius epistolae annus 1595 inscriptus recte se habet, sequitur, ut iam tum Rittershusius Isidorum, quantum eo tempore eius exstabat, denuo edere vel notis instruere cogitaverit. In editionis fine in uno folio epistola est Is. Casauboni ad C. Rittershusium, Lut. Paris. Kal. Sept. 1605, in qua explicationes nonnullae ad Isidorum insunt. **234** Iudas Bonutius, Commelini affinis; cf. Rittershusium haec ad Isidorum praefantem: '.. bono publico pariter ac Bonutiis privatim prosit plurimum' (Isidorus). **235** De Marco Velsero (1558—1614), consule Augustano et litteratorum patrono doctissimo v. Reifferscheid p. 721 sq. **236** Paulus Freherus (1571—1625), mense Dec. 1595 iurium doctor Heidelbergae renuntiatus, exinde ad parentes Norimbergam se contulit statimque a senatu in advocatorum urbis numerum receptus munere suo per annos triginta functus est (v. Freheri theatrum p. 1042).

237 Hoc anno, non 1597, ut codicis memoria, qua '1697' traditur, significare videtur, haec epistola scripta est. Cuius rationis has habeo causas. Legitur in epistola: '*Freherus noster, qui in* demortui Pacii locum substituetur'; substitutus *autem est 1596*, id quod factum esse Gruterus sequenti epistola

19. Martii 1596 data Rittershusium his verbis certiorem fecit: 'Frehero, qui iam hic Pacii illius nepacifici supplet vicem'. Eadem epistola iampridem litteras a se ad Rittershusium missas esse affirmat, 'quibus', inquit, 'addideram Epigrammata aliquot in Donellum, quae prae manu'. Ea autem Epigrammata hac nostra epistola continentur. Porro quod scribit Gruterus: 'Oppianum gratulor incidisse in felices manus Raphelengii', id potius anno 1596 quam 1597 convenit; nam iam 5. Sept. 1595 Rittershusius Casaubono se Raphelengium ad Oppianum excudendum nactum esse nuntiavit, sed rem nondum certam esse (in Casauboni epist. edit. Roterod. 1709 p. 641). **238** Gruterus iam ea epistola, quae in Queroli Rittershusiana editione (1595) p. 99 excusa est, a Rittershusio petit: 'si quando Noribergam, insusurres viris summis D. Ioachimo, D. Philippo Camerariis, frustra esse, quod hoc anno suum sibi sperent reducem Plautum, si eius usum mihi esse volunt, ut volunt, utibilem'. **239** Cf. postscripta epist. 37. **240** Sive Elias Reusner (1555—1612), inde ab a. 1591 prof. hist. et poes. Ienensis (v. Joh. Günther, Lebensskizzen der Professoren der Universität Jena seit 1558 bis 1858, Ienae 1858, p. 178) sive Nicolaus (v. adn. 408) intellegitur, uterque poeta. **241** Cf. adn. 226 et 230. **242** Guntheri Ligurinus seu de rebus gestis Imp. Caes. Friderici primi .. libri X. .. Cunr. Rittershusius recensuit .. Tubingae 1598. **243** Elegia I. Gruteri in Rittershusii editione legitur. **244** 'Gasperis Schoppj Franci Verisimilium libri quatuor. In quibus multa veterum scriptorum loca, Symmachi maxime, Cor. Nepotis, Propertii, Petronii, aliorum emendantur, augentur, inlustrantur. Noribergae .. 1596.' **245** Mirum videtur, quod Gruterus de Pacio tanquam demortuo loquitur, quippe qui a. 1635 demum obierit. **246** Hunc indicem ipse Scioppius a Rittershusio rogatus, qui hunc nostrae epistolae locum cum eo communicaverat, Grutero transmisit (v. Gruteri epist. ad Scioppium Heidelb. 10. Maii 1596 in 'Monumentis pietatis et literariis' II p. 466—468). **247** V. adn. 186. **248** Gentilis Donelli commentariorum de iure civili libr. I.—XI. ex editione altera Francof. 1596 excudendos curavit; idem et a. 1595 libr. XII.—XVI. a Donello ipso perfectos ediderat et lib. XVII.—XXVIII. ex Donelli schedis composuit. Praeterea eiusdem opera postuma Hanoviae 1604 publici iuris fecit (v. Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I p. 378 et 394 sq.). **249** V. epist. 30. **250** Quae epigrammata typis excudere supersedemus, praesertim cum maxima pars praeter quinque iam in Delitiis poet. Belg. II p. 689. 698. 739. 752. 784 sq. 824 publici iuris facta sit. Exstat Scip. Gentilis 'Oratio .. habita in funere Hug. *Donelli* ... *Item* aliorum varia carmina eiusdem gloriae con-

secrata . .' Alt. 1591, inter quae Gruteri nulla sunt. Attamen Gruterus, ut epist. ad Scip. Gentilem Viteb. 3. Oct. (1591) data (in epist. Gudianis p. 349) scripsit, et ipse minerval aliquod viro optime de se merito rependere cogitabat et a Gentile illa epistola, ut nomina, cognomina Donelli amicorum, quos praecipue ultimos habuisset, secum communicaret, petiit.

251 V. adn. 232. **252** V. epist. 40. **253** Iulius Pacius a Beriga (a. 1550 Vicentiae natus, a. 1635 mortuus) inde ab a. 1585—1594 professor Heidelbergensis (v. 'Urkundenbuch d. Univ. Heidelb. ed. ab Ed. Winkelmanno II p. 167; Allgem. Deutsche Biogr. 8 p. 576; Stintzing I p. 390). Nepacificus autem eadem nominis denotatione, qua in epigrammate in contentionem Pacii cum Scip. Gentile apud Reifferscheid p. 967 sq., propterea nominatur, quod vir erat iurgiosus, velut non solum Hippolyto a Collibus sed etiam Scip. Gentili lites intendit, quem 'iniuriarum de famoso libello accusavit et tam diu hanc actionem, postea etiam cum professionem iuridicam in academia Altorfina adiisset, persecutus est, donec molesta et gravans sententia contra Gentilem decreta fuerit' (v. Zeidler I p. 113 adn. d; Nopitsch V 398 sq.; Stintzing I p. 390 adn. 1 et 392 sq.; Reifferscheid p. 967 sq.; Toepke, Matrikel II p. 133).

254 Uterque 1596 mortuus est. **255** Johan van der Does (1571—1597), inde. ab a. 1591 universitatis Leidensis bybliothecarius (v. van der Aa IV p. 219.. **256** Verg. Aen. I 199.

257 A. 1596 hanc epistolam scriptam esse ex Lingelshemii nuptiarum commemoratione apparet, quas in diem 21. Sept. 1596 constitutas esse ipse Lingelshemius epistola 19. Aug. 1596 scripta indicat (in Ayrmanni sylloge anecdotorum p. 543, cuius loci notitiam Reifferscheidio debeo, Quellen . . I p. 728).
258 Opus ineditum. **259** Intellegitur Andreas Schottus (v. adn. 319), qui tunc in Collegio societatis Iesu Romano docuit, cuius de Taciteo opere nil indagare potui. **260** Ch. Pflugius in Parei editione Plautina Francof. 1610, velut p. 43, laudatur (v. Ritschelii opusc. II p. 137 adn. 83); cf. epist. 34. Vitebergae a. 1622 vixit, siquidem Christoph. Pflugius ille, quem Gruterus tamquam sibi amicum commemorat (apud Reifferscheid. p. 130), idem est atque noster. Item dubius sum de Christoph. illo Pflug ab Eytern Misnensi, qui in albo academico Heidelbergae 13. Aug. 1593 inscriptus est (v. Toepke II p. 169).

261 Is commemoratur etiam in Casp. Scioppi epist. ad Conr. Rittershusium Romae 23. Apr. 1601 scripta, in Miscell. Lips. novis V 3 p. 553. **262** Libri secundi. **263** *Symmachus.* **264** Cod. Thauzelius; cf. epist. 44; carmen in eum *a C. Rittershusio* factum v. in Delit. poet. German. V p. 870.

Erat Strelensis Silesius et 14. Apr. 1595 in albo academico inscriptus (v. Toepke II p. 178). **265** V. epist. Is. Casauboni ad Gruterum Kal. Sept. 1596 datam in Casauboni epist. edit. Roterod. 1709 p. 48. **266** Pestilentia inde a Iulio a. 1596 usque ad Martium a. 1597 Heidelbergae saeviit; v. Hautz, Gesch. d. Univ. Heidelb. II p. 147 sq.

267 V. epist. 43. **268** V. epist. eandem. **269** Q. Aurelii Symmachi . . epistolarum ad diversos libri X. Iac. Lectius IC. secunda cura recensuit, notis, emendationibus, epistolis etiam auxit . . (Basil.) 1598. In praefatione altera ad lectorem Lectius etiam Grutero pro coniecturis sibi transmissis gratias agit.

270 Ian. Cornarius Artemidorum onirocriticum latine redditum Basil. 1539 edidit. **271** Fabric. bibl. graeca edit. Harles. V p. 262: 'Artemidori editionem a Grutero promissam testatus est Is. Casaubonus epist. 33 (in eius epistolarum editione a. 1656) ad Frid. Lindebrogium scripta (27. Aug.) a. 1595.'

272 C. Scioppi suspectarum lectionum libri quinque . ., in quis amplius ducentis locis Plautus, plurimis Apulejus, Diomedes Grammaticus, alii, corriguntur notantur subplentur illustrantur. Amstelod. 1664. Primam a. 1597 editionem equidem non vidi. **273** In Plauto edendo, si quidem ea, quae statim sequuntur, de Scioppi arte critica in Plauto emendando adhibita dicta esse recte intellexi. **274** Utrumque credo Plauti Camerarianum mscr.; nam eorum collationem Rittershusium Scioppio tradidisse ex Scioppi suspect. lection. lib. V epist. 3 (edit. Amstelod. 1664 p. 9) cognoscimus.
275 Scioppius vere a. 1593 in Poloniam proficisci cogitabat (Allg. Deutsche Biogr. 33 p. 480). **276** Io. Ladislaus Dresdensis (— inter vivos a. 1603 erat —), tum gymnasii Ambergensis (in Palatinatu superiore) prorector, antea Afrani Misnensis rector, hoc ex munere a. 1592 propter Calvinismum dimissus. V. Joecher-Rotermund II 2202, III 1034; epistola eius ad Conr. Rittershusium Ambergae 21. Ian. 1603 in B. G. Struvii actis litterariis II p. 369—371 legitur. **277** Ubi Hartmann Pistoris fundum possidebat; v. adn. 196[a]. **278** V. adn. 226.

279 V. epist. 43. **280** Ao. 1596/8 Colerus Altorfi commorabatur, eo fortasse Praga vocatus ad professionem philologiae, et quotidie plus centum auditores habuit (v. epist. Gudian. p. 252 sqq.; Is. Casauboni epist. Roterod. 1709 p. 645; Apinum p. 85; Allg. Deutsche Biogr. 4 p. 400). Sed non diu demandato officio praefuit (v. Apinum l. c.), Altorfio circa a. 1600 relicto (Will I 215). V. adn. 316. **281** In C. Salustij Crispi bellum Catilinarium Christoph. Coleri Fr(anci) Commentarius, in quo praeter notas ethicas et politicas multi variis auctoribus loci restituuntur et emendantur. Norib. apud Paulum *Kauffman 1597. 8°* (v. Catalogus novus omnium librorum, qui

nundinis autumnalibus Francof. et Lipsiae a. 1597 celebratis noviter impressi venales expositi fuerunt. Sumpt. H. Grosii. fol. D 1[b]). Quem commentarium typographus sub finem fere Augusti anni 1597 exspectabat (v. Coleri epist. Altorf. 28. Aug. 1597 dat. in epist. Gudian. p. 252). Sed alia epist. (Altorfii 13. Febr., sine anno, ibid. p. 253) Colerus conqueritur: 'De Sallustio', inquit, 'ante hasce nundinas nihil fiet culpa et flagitio maximo typographi mendacissimi.' Anno tandem 1588 commentarius Norimb. prodiit (v. Apinum p. 86 eiusque adn. l). Fabricius in bibl. lat. ed. Ernesti I (Lips. 1773) p. 248 recenset Sallustii editionem cum notis Christoph. Coleri, Norimb. 1599, 8°. Sed hunc librum in catalogis nundinariis a. 1599 equidem non deprehendi, inveni tantum 'C. Sallustii Crispi historiam Romanam cum fragmentis per Christ. Colerum, 8° (Norimb.) Kaufman' (in catalogo Io. Feyerabendii ad nund. vernal. Francf. fol. C 1[a]) et 'C. Sallustii Crispi epistolas duas ad C. I. Caesarem de rep. ordinanda, notis politicis illustratas a Chr. Colero, Ambergae 8°' (in catal. Abr. Lambergii ad nund. autum. Lips. E 1[a]). **282** Opus ineditum. V. ipsum Gruterum in epist. ad Bonav. Vulcanium, de qua Vulcanius nonnulla excerpsit in epist. ad Th. Canterum Lugd. 16. Oct. 1598 (in Alciati tract. contra vitam monasticam ed. A. Matthaeus Lugd. 1708 p. 84 sq.), praeter hos Venatorem p. 96 sq., Reifferscheid. p. 809.

283 Frid. Taubmannus (1565—1613), inde ab a. 1595 prof. poes. et eloquentiae Vitebergensis (v. Joecher IV 1028; Eckstein, nomencl. p. 558). **284** Cf. Taubmanni praefationem ad lectorem p. III sq. editionis a. 1605 et Ritschelii opusc. II p. 130 sqq. 138 sq. **285** Inscriptionum romanarum corpus absolutissimum, ingenio et cura Iani Gruteri, auspiciis Ios. Scaligeri ac M. Velseri. Accedunt XXIV Scaligeri indices . . (Heidelb.) In bibliopolio Commeliniano . . 1618; est altera editio, prior ibidem 1602/3 prodiit, quam non vidi. V. Gruterum de hoc opere disserentem in epistolis ad Io. Kirchmannum, inter epist. Gudianas p. 200. 201. 203 sq. **286** (Mart. Smetii) Inscriptionum antiquarum, quae passim per Europam, liber. Accessit auctarium a Iusto Lipsio. Lugd. Bat. 1588.

287 Item Gruterus in Inscriptionum praefatione ad lectorem, ubi multa de huius operis auctoribus, fautoribus, fatis. V. etiam Eckstein in Ersch. et Gruber. tom. 95 p. 361 sq.

288 V. adn. 282. **289** Wesenbecius (v. adn. 147) a. 1598 Altorfio abiit Coburgum vocatus, ubi consiliarius intimus, curiae provincialis assessor et scabinus ordinarius factus est, in quibus officiis usque ad mortem, quae a. 1603 secuta est, *perstitit.* **290** Ioachimi, 11. Oct. 1598 defuncti. **291** Michael *Virdungus* (1575—1637), a. 1605 eloquentiae et historiarum

professor Altorfiensis nominatus est et inde ab a. 1624 etiam politicen docendam suscepit. Plura apud Will-Nopitsch IV 90, VIII 350; Goedeke, Grundriss II² p. 115. 143.

292 Hipp. a Collibus. **293** Ὀνοσάνδρου Στρατηγικὸς .. Nic. Rigaltius nunc primum .. publicavit .. et notis illustravit. Accedit seorsim in eundem Onosandrum I. Gruteri uberior commentarius .. (Heidelb.) Ex officina Commeliniana. 1600. Quae editio nil fere aliud est nisi editionis Rigaltianae anni 1599 repetitio. Commentarium, quem se absolvisse Gruterus 10. Mart. 1600 Io. Kirchmanno nuntiat (epist. Gudian. p. 200) '*seorsim*' editum equidem non vidi, sed ibidem eodem anno prodiisse apud nonnullos, velut apud Nicéron, mémoires IX p. 404, inveni. Qui num revera exstet, dubitari potest. Nam Gruterus, quoniam, ut ad Rittershusium 22. Dec. 1599 scribit (epist. 48), gloriolam aliquam a brevitate temporis, quo notas ad Onosandrum concinnarat, aucupatus erat, cum auctor ille primum a. 1599 editus esset, postea, ut 16. Ian. 1601 eidem nuntiat (epist. 50), cum typographus eas ante annum (i. e. 1600 una cum auctoris editione) non excudisset, tum quidem eas, quales erant, emittere veritus est, sed retinuit, ut augeret et in discursuum formam conferret. Ita quasi nova veste ornatae prodierunt, credo eo in libro, qui inscriptus est: Varii discursus sive prolixiores commentarii ad aliquot insigniora loca Taciti atque Onosandri. (Heidelb.) In bibliopolio Commel. 1604/5.

294 Altera coniuge mortua, quae erat Kimedoncii filia (v. Reifferscheid p. 755). **295** Dionys. Gothofredus, ICtus praeclarissimus, qui Heidelbergam Argentorato vocatus eo a. 1600 pervenit, sed iam post duodeviginti fere menses urbe a. 1601 relicta Argentoratum rediit. Tum a. 1604 Heidelbergae denuo consedit ibique usque ad Sept. 1621 mansit (v. Jugler, Beytr. z. jurist. Biogr. 6 p. 244). Inter hunc et Gruterum vehementissima dissensio de Senecae interpretatione a. 1591 exorta erat; v. Paquot p. 14 sq. **296** Prima editio huius epistolae (secundum Zeidlerum I p. 216 adn. rrrr) d. 2. Sept. 1599 Romae scriptae prodiit cum hac inscriptione: Gasp. Scioppii Franci de variis fidei catholicae dogmatibus epistola ad quendam in Germania Iurisprudentiae Doctorem et Professorem (videlicet Rittershusium), nunc primum in lucem edita. Ingolstadii 1599. Qua re permotus amicitiam ei in ea epistola renuntiavit, quae apud Zeidlerum I p. 183 adn. ll exstat, qua maxime id conqueritur, quod epistolam quandam suam bono animo privatim Augustae Vindelicorum Augusto mense a. 1599 scriptam publice prius novo more atque exemplo refutare aggressus sit quam sibi privatim de ea rescripserit. V. etiam Rittershusiorum epistolas a Strobelio editas p. 16—19. *10. 20 sq. 24 sq.* et in epist. Gudian. insertas p. 231 sq. Ac

primum Rittershusius a Scioppi libello in 'Antischoppio', quem ab aliis calamo describendum atque in complura transcribendum exempla curavit, apud amicos privatim sese defendisse satis habuit (v. ibid. p. 19. 26. 121 sqq.), postea tamen satiram hanc edidit: 'Hercules tuam Fidem! sive Munsterus Hypobolimaeus, id est, satyra Menippea de vita origine moribus Gasperis Schioppii Franci . .' (v. Zeidler I p. 200, cui altera tantum editio a. 1608 innotuit).

297 Io. Isaaci Pontani (1571—1639, Historiae rerum Danicarum et Historiae Geldricae auctoris, v. Joecher-Rotermund III 1690, VI 615; van der Aa XV 403; Allgem. Deutsche Biogr. XXVI 413) 'Analectorum libri tres, in quis ad Plautum potissimum, Apuleium et Senecam ac passim ad Historicos antiquos et Poetas censurae. Rostochii 1599.' **298** Editioni Rigalti Paris. 1599 additas. **299** Pistoris a Seuselitz et Hirschstein, Hartmanni (v. adn. 196[a]) filius, 1570—1615, consiliarius Brandenburgicus; v. Allgem. Deutsche Biogr. 26 p. 192 sq. — In Inscriptionum Corporis praefatione Gruterus Sebast. Hornmoldo ICto (sive eius nomen est Hormoldus — hoc enim eius epigrammati in Corpore Inscriptionum additum est) gratias agit, quod Wirtenbergica sibi procuraverit.

300 'Insignium huius aevi poetarum lacrymae in obitum Cl. V. Abr. Ortelj († 28. Iun. 1598) . . . Franc. Swertius . . colligebat . . Antv. . . 1601.' Quo in libello excepto Douza omnium eorum virorum, qui hac in epistola laudantur, et Piccarti, qui in epist. 50, epicedia sunt, velut tria Gruteri carmina (= Delit. poet. Belg. II p. 858), unum Rittershusii (= Delit. poet. Germ. V p. 880). **301** Cf. Venat. p. 93. **302** Quo ad nundinas commeare Gruterus solebat, ut et pro sua ipsius bybliotheca et pro bybliotheca Palatina libros coemeret.

303 V. epist. priorem. **304** V. eandem epistolam. **305** V. adn. 293. **306** Jean Bodin, les six livres de la république, Paris 1576. **307** Franc. Patritii de institutione reipublicae libri novem, Paris. 1518, et de regno et regis institutione libri IX, Paris. 1567. **308** Giov. Botero, della ragion di stato libri X (primum a. 1589 prodiit) con tre libri delle cause della grandezza della città . . (primum a. 1588 prodiit), in Venetia 1606. **309** Scip. Ammirato, discorsi sopra Corn. Tacito . . Fiorenza 1594. **310** V. Gruterum, qua ratione discursus in Tacitum scripserit, similiter disserentem in epist. Gudian. p. 207. **311** 'In evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.' **312** Omnium virorum

qui hic laudantur, carmina in Inscriptionum Corpus recepta sunt; Theodori Bezae epigramma id est, quod in fol. a III^{b} editionis alterius a. 1616 est litteris T. B. additis. **313** Fortasse Mich. Virdungus, cuius sunt 'Tragoediae novae duae Saul et Brutus, quarum prior ex historia sacra, altera ex M. Bruti vita apud Plutarchum praecipue desumta. Ienae typis Tob. Steinmanni 1596', apud Apinum in vitis profess. philos. Altorf. p. 113 laudatae, quae secundum Willium IV p. 92 una cum Caesare Mureti et Thrasea, de qua v. Conr. Rittershusii epist. Ios. Scaligero missam Alt. 27. Aug. 1602 (in Burmanni sylloge II p. 333) et Reifferscheid p. 688, aliisque varii generis poematiis Norib. 1609 iterum editae sunt. Virdungi quoque carmen in Inscriptionum Corpore est. **314** Huius quoque epigramma in Inscriptionum Corpore legitur. **315** Inest 'Insignium .. poetarum lacrymis in obitum .. Abr. Ortelj ..' (v. adn. 300). **316** Christoph. Colerus Heidelbergae in albo academico 17. Nov. 1600 inscriptus est (Toepke II 205), ubi eum munus docendi suscepisse Apinus l. c. p. 85 ex praefatione concludit, quam Valerii Maximi libris IX cum annotationibus suis et indice duplici editis praemisit quaeque Calendis Aprilib. Heidelbergae a. 1601 scripta est. Sed nostrae epistolae ratione habita eam praefationem rectius ita interpretamur, ut Colerum nobilis illius iuvenis, quem adloquitur, vid. Stanislai Zellenski de Zellanka, inspectorem fuisse credamus. V. adn. 317. **317** Is fortasse est Stanislaus Zellenski de Zellanka, 24. Iunii 1600 in albo academico inscriptus (v. Toepke II 203), quocum etiam postea Colerum coniunctum fuisse ex praefatione Coleri epistolae de studio politico recte instituendo (Witteb. 1601 excusae, secundum Apinum p. 87) ad Stanisl. Zellenium Vitellium de Zelancka data ex huius praedio Lucianico (apud Cracoviam sito) 1601 prid. Cal. Nov. colligitur. **318** Intellegit oratorum graecorum collectionem vel apud Aldum 1513 vel apud H. Stephanum 1575 excusam. **319** David Hoeschel (1556—1617, inde ab a. 1593 gymnasii Augustani et bybliothecae urbicae rector, v. Allgem. Deutsche Biogr. 13, 176 sq.) Photium Aug. Vindel. 1601 graece excudendum curavit, quem latina versione instructum Andr. Schottus (Antverpiensis, 1552—1629; v. ibid. 32 p. 392 sqq.; van der Aa 17, 1 p. 459; Eckstein, nomencl. p. 517) Aug. Vind. 1606 denuo edidit. **320** Opus ineditum. **321** Dion. Gothofredo. **322** Sive symbolo (v. Flayder p. 79). Gruterus in epist. G. M. Lingelshemio Brettae 5. Martii 1626 scripta (apud Reifferscheid p. 246): 'Cum essem puer annorum XII, legebam in Hispanica fabula, equitem amantem habuisse pro symbolo: Trabajar y morir. Id ego rerum omnium ignarus arbitrabar mihi egregie convenire et usurpavi eius vicem illud: Labore et morte. Rem

acu tetigi, bonus vates. Sortito mihi labor obvenit iamque insequetur quies per mortem.' **323** Inscriptionum Corpus.

324 Sive intellegitur Iacobus Monau (1546—1603), ab a. 1590 Ioachimi Friderici ducis Brigensis consiliarius (v. Reifferscheid p. 685), sive eius filius Fridericus (ibid. p. 761), uterque Grutero amicissimus (ibid. p. 140). **325** David Pareus (Wängler, 1548—1622), inde ab a. 1598 theol. prof. Heidelbergensis; v. Allgem. Deutsche Biogr. 25, 167 sqq. **326** Is in Bongarsii epist. ad Ioach. Camerarium, Lugd. Bat. 1647, commemoratur p. 48 (ep. Francof. 2. Febr. 1592: Zundelinus Heidelbergam proficiscitur hodie. Eum salutavi abs te), p. 57 (ep. Francof. 29. Febr. 1592: Zundelinum audio esse Argentorati et mansurum), p. 92 (ep. Francof. 6. Sept. 1592: Litteras tuas ad Zundelinum Heidelberga a vobis transiens, relinquebam Leunclaio . . . Nam Zundelinus cum Electore aberat). **327** Scioppius. **328** Fortasse is est Barth. Bilov (v. Joecher I 1093) sive 'poetaster Bilovianus', quocum duobus fere annis post Rittershusio rixa erat (v. Willium III 358 et Gruteri epist. ad Godofr. Iungermannum Heidelb. 18. Iulii 1603 scriptam in Gudii epist. p. 210). **329** Cath. Stockeliam sive potius Stoeckeliam, quae nominis forma in Delit. poet. Germ. V p. 63 est, vel germanice Stoeckle (cf. Cuno, Fr. Junius p. 372 adnot.); v. epist. 51.

330 Priore epistola. **331** Carmen nuptiale Mich. Piccarti in Delitiis poet. Germ. V p. 63 exstat. Matrimonium tertio contractum gratulatur Io. Meursius epistola Hagae Comitis VI. Id. Nov. a. 1601 data et in Serapeo 18 p. 210 sq. excusa.

332 V. Reifferscheid p. 755.

333 Nuptiis 10. Maii constitutum fuisse ex Gruteri epistola Heidelberga 3. Maii 1601 data, in Io. Woweri epist. cent. II p. 497, comperimus.

334 Sive is erat Henricus natu maximus sive Christophorus Conradus (v. Zeidler p. 164 adn. n). **335** Arnoldus Clapmarius (1574–1604), a. 1600 historiarum et politices professor Altorfiensis (v. Will-Nopitsch I 197, V 166; Allgem. Deutsche Biogr. IV 273).

336 Numero XXIV. **337** Photii, patriarchae Constantinopolitani, de consolatione ad Eusebium libellus, graece editus, cum interpretatione latina et emendationibus Conr. Rittershusii. Accesserunt eiusdem et amicorum carmina consolatoria ad Illustr. Baronem D. Hertwicum Zeydlicium, Schonfeldi Dominum etc., S. Caes. Maiest. a Consiliis, super obitu filii eius cognominis. Norib. 1601 (v. S. I. Baumgarten, Nachrichten von merkwürdig. Büchern tom. VII p. 503 sqq.). **338** Partitiones iuris feudalis, in duos libros tributae . . Hanoviae 1603 *(v. Zeidler I p. 192).* **339** Μαξίμου τοῦ Μαργουνίου ἐπι—

σκόπου Κυθήρων ὕμνοι ἀνακρεόντειοι ... Cum interpretatione latina C. Rittershusii. Augustae 1601. **340** Is tamen mox rediit (v. epist. 55). **341** V. adn. 313. **342** In albo academico 29. Mart. 1594 inscriptus est (v. Toepke, Matr. d. Univ. Heidelb. II p. 172). Postea mense Maio a. 1600 histor. prof. Altorf. factus est. Diem supremum 1. Iunii 1604 obiit (Will, Gesch. d. Univ. Altdorf p. 320). **343** Petrus Heymann Coloniensis iuris utriusque doctor, professor ordinarius pandectarum, consiliarius Palatinus, usque ad a. 1626 in collegio iuridico erat (v. Toepke II p. 182 et Hautz II p. 146).

344 V. adn. 134. **345** Colerus in fundo nobilis cuiusdam Poloni apud Cracoviam degit (v. adn. 317). **346** Exstat et in ipso illo libro et in Delit. poet. Belg. II p. 817.

347 Rittershusio et Piccarto. **348** Conr. Rittershusius ad Melch. Goldastium 5. Iul. 1601 scribit: 'Virdungus iam ante annum fere hinc in Bohemiam abiit et fortasse brevi erit Basileae' (Viror. cll. ad M. Goldast. epist. 1688 p. 54). **349** Levinus Hulsius Gandavensis, vir variae eruditionis peritus et bybliopola († 1606), circa a. 1590 Norimbergae consedit, ubi usque ad a. 1602 vitam degit (Will-Nopitsch II 206, VI 138; van der Aa, woordenb. 8, 2 p. 1448 sq.). **350** Priorem editionem Nopitsch VIII 350 recenset sic inscriptam: Iuvenilia tributa in quaedam ἀποσπάσματα carminum variorum; item librum epigrammatum et duas tragoedias, Saul et Brutum. Nor. 1598. — De Thrasea tragoedia v. adn. 318. **351** V. ep. 55. **352** Sive Inscriptiones.

353 Priore epistola. **354** Ad Onosandrum et Tacitum; cf. epist. 50. **355** V. adn. 128. **356** Politicorum sive civilis doctrinae libri sex, qui ad principatum maxime spectant. Lugd. Bat. 1589. V. Amiel, Juste Lipse (Paris 1884) p. 149 sqq.

357 Vinc. Castellani Forosemproniensis de officio regis libri quatuor, Marpurgi apud Paul. Egenolph 1597. **358** Io. Matth. Wacherus (sive Wakerus vel Wakherus) a Wachenfelsa, in aula Caesaris consiliarius, qui et in Inscriptionum epistola dedicatoria ad imperatorem honorificentissime laudatur et Notarum Tironianarum Inscriptionibus adiunctarum dedicationem accepit. V. Venatorem p. 54 sqq. et Reifferscheid. p. 1045. **359** Inscriptionum Corpus Rudolpho II. dedicatum est. V. etiam Serapeum 18 p. 216. **360** Dubium, utrum Nicolaus (v. adn. 408) an Elias Reusner (v. adn. 240) significetur. Uterque tum Ienae vixit, uterque epigramma de Inscriptionibus Gruteri fecit.

361 Georg Rem (1561—1625), inde ab a. 1600 consiliarius reipublicae Norimbergensis. V. Will-Nopitsch III 294, VII 244; Reifferscheid p. 1034. Remus huius epistolae inscriptioni haec subscripsit: 'Has primas, amicitiae primitias, 26. Maii 1606 accepi. *G. Remus.*' **362** Remi carmen (Iusti Lipsii manibus)

manuscriptum in Serapei vol. 18 p. 213 commemoratur. **364** In 'Bibliographie Lipsienne (Publication de l'université de Gand)' III p. 305 recensentur 'Epicedia in obitum . . I. Lipsii . . Lugd. . . 1607'; at nec Remi nec Gruteri nec Praetorii (v. ep. 58) epicedia insunt, tantum Scaligeri, Heinsii, aliorum. — Gruteri carmina novem ('Manibus I. Lipsii') in Delit. poet. Belg. II p. 861 sq. et 824 exstant. **365** V. A. Räss, die Convertiten seit der Reformation III p. 159 sqq.; Literarisches Wochenblatt I (Norimb. 1770) p. 233 sqq.; Amiel, Juste Lipse p. 119 sqq.; Allgem. Deutsche Biogr. 18, 741; Rittershusiorum epistolas p. 49 sqq. **366** Bern. Praetorius (1567 natus, 14. Nov. 1616 mortuus), ICtus et poeta, syndicus Norimb. et inde ab a. 1604 bybliothecae publicae Norimb. praefectus; v. Will-Nop. III 231, VII 195. Ad hunc enim, qui saepius Gruteri amicus appellatur, velut ab ipso Grutero in praefatione ad Ciceronis editionem, maxime ea pertinere videntur, quae de Praetorii negotiis publicis epist. 66 commemorantur.

367 Gruterus Livium edere volebat, qui Francof. ad M. 1608 prodiit, tamen sine ipsius Gruteri notis (v. adn. 438). **368** Levini Hulsii, v. adn. 349. **369** Prima editio apud Paul. Manutium a. 1555 excusa est. **370** Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii adnotationes ad Livium in edit. Basil. Froben. 1535 coniunctae sunt. **371** L. Vallae adnotationes ex. c. in Livii edit. Francof. ad M. 1568 inveniuntur. **372** Guil. Godelevaei notae ad Livium ibidem. **373** Franc. Modius Livium edidit Francf. 1588. **374** Fulvii Ursini adnotationes ad Livium inveniuntur in libro qui inscribitur 'Fragmenta historicorum collecta ab Ant. Augustino. Emendata a F. Ursino. F. Ursini notae ad Sallustium, Caesarem, Livium . .', Antv. 1595, p. 379—409. Marc. Donati 'scholia sive dilucidationes . . in lat. plerosque historiae romanae scriptores', Venet. 1604, etiam commentarios in Livium p. 1—85 continent. **375** Taciti opera ex recognitione I. Gruteri. Cum indice rerum ac nominum accuratissimo. Accedunt seorsim . . notae virorum doctissimorum . . Francof. 1607. Index plus uno alphabeto usurpat, notae 656 paginas, inter quas Gruteri p. 617—656. **376** Gotofr. Iungermannus (1577 vel 1578—1610), filius Casparis, Ioach. Camerarii generi, inde ab a. 1605 vel anni 1606 initio corrector in officina Wecheliana, quae Hanoviae; v. Allgem. Deutsche Biogr. 14, 709 sqq. **377** V. adn. 364. **378** Quoniam Lipsius fidei catholicae addictus erat.

379 Idem esse videtur atque Io. Ulricus, I. V. D., consiliarius ducis Bipontini, cuius carmina mss. in Serapeo 18 p. 212 sq. commemorantur. **380** Cf. epist. 59. **381** Gruteri Sallustius 1607 editus est. **382** V. adn. 375. **383** *Gotofr. Iungermanni* (v. adn. 376) Caesar a. 1606 prodiit. Is-

in praefatione ad lectorem haec disserit: 'Capita addidi libris singulis . . . Feci id eximii viri exemplo, Gruteri mei . . . Est profecto ea ratio expeditissima ad signate proferendum, quae velis, ex scriptore aliquo potestque inservire omnibus editionibus, quae alias a se pagellarum modo ac numero immane quantum discrepant. Numeros signavi novo exemplo ad interiorem marginem, ne si quis improbet, sibi ex altero quid detractum queratur. Novo exemplo? immo eiusdem Gruteri mei; quod iam vidisti, ni fallor, in Sallustio et Tacito.'
384 Horum adnotationes ex. c. in Livii editione Francof. 1588 inveniuntur. **385** Claude Marny, Andreae Wechelii gener et officinae Wechelianae, quae Hanoviae erat, heres (v. Allg. Deutsche Biogr. 14 p. 710). Apud eum et heredes Io. Aubrii, Francofurti, Iungermanni Caesar excusus est. **386** Iungermann in Caesaris sui praefatione ad lectorem: 'Commentarios et notas omnium peculiari libro Caesari adiunximus. Clarissimi Gruteri notas hypercriticas te ad sequentes nundinas iubeo exspectare, quae edentur separatim.' **387** Ex recensione I. Gruteri, Francof. 1607. **388** 'XII Panegyrici veteres . . nuper quidem ope Ioh. Livineii, nunc vero opera I. Gruteri, praeter quorum notas accedunt etiam coniecturae Val. Acidalii et Conr. Rittershusii. Francof. . . 1607.' **389** Huius adnotationes ad Livium saepius, ex. c. Basil. 1540, prodierunt. **390** Apud Aldum 1592. **391** V. epist. 59. **392** 'Schediasmata' Gruteri notae ad Tacitum inscriptae sunt.

393 Christ. Acidalius, prof. med. Altorfinus; eum a. 1607 etiam Altorfi vixisse ex Hummelii celebrium virorum epistolis ineditis LX p. 86 adn. cognoscitur. **394** Hanc epistolam a. 1607 scriptam esse inde apparet, quod Gruterus Piccarto propter disputationem de virtutibus imperatoriis, quae a. 1607 prodiit, transmissam gratias agit, et Rittershusii doloris domestici commemoratione confirmatur, id quod de coniuge 1607 amissa intellegendum est. **395** Rittershusius priorem coniugem (v. adn. 136) 30. Iunii 1607 mortuam conquerebatur, id quod ipse Grutero epistola ea, quae in Hummelii epist. ined. LX p. 101 sqq. est, nuntiaverat. Cf. Rittershusiorum epist. p. 27—31; de carminibus consolatoriis v. Zeidler p. 163 adn. h. **396** V. adn. 214. **397** V. adn. 234. **398** Rittershusius in epist. Michaeli Trew Altorf. 11. Apr. 1609 (inter epist. Richterianas p. 742): 'Etsi enim Commeliniani a me acceptas curarunt (scil. epistolas Isidori), . . tamen ita sunt impressae et ita flagitiose mutilantur exemplaria illius bibliopolii . ., ut vix credam, vel unicum exemplar integrum hoc toto triennio ex illa officina quemquam accipere potuisse, quod multi sibi accidisse conquesti sunt, et ego inde mihi mitti petens, iam saepius *expertus sum.'* **399** Prodiit a. 1607 (Nopitsch VII 154).

400 Christ. Acidalius praefationem ad Val. Acidalii fratris divinationes et interpretationes Plautinas scripsit, quae exstant in Gruteri Lampade sive face artium liberalium hoc est Thesauro critico tom. VI, Francof. 1612. **401** Io. Meursius Io. Barneveldii, Nestoris reipubl. Batavinae, filiis peregrinationi tempus aliquod daturis tamquam ephorus praepositus etiam Altorfium visit. Conf. Mich. Piccarti epistolam Altorfii 10. Aug. 1607 ad Io. Meursium scriptam inter epist. Gudian. p. 260 sq.: 'Cum multi his diebus apud me instarent, . . ut orationem, quam hisce proximis diebus te etiam auscultante habui, publice typis exscriptam omnibus communicem, paene adsensus tandem ipsis sum . . . quam nobilissimis tuis Barnefeldiis inscribere . . cogito . . . te rogo . ., ut sincere dixeris, quid de hoc instituto meo tibi videatur, tribus verbis aperies. Item quot adhuc dies nobilissimi tui hic commoraturi sint . . .'

402 De Hoeflichio, poeta et ICto, v. Will-Nopitsch II 146, VI 104, Joecher-Adelung II 2037. Norimbergae circa a. 1589 natus est; ante a. 1610 Altorfium profectus ad studia maxime apud Rittershusium incubuit. Tum ab a. 1612—1614 Ienae commoratus, a. 1615 reipubl. Norimbergensis syndicus factus est. A. 1630 vel 1631 diem supremum obiit. Epistolae eae, quae a Christ. 'Hoellichio' ad Frid. Hortlederum datae in I. C. Wolfii consp. supell. epist. p. 113 recensentur, potius Christ. Hoeflichio reddendae esse nobis videntur. **403** In Gruteri Publilii Syri editione (Heidelb. 1604) vers. 25. **404** V. Reifferscheid p. 755 et Paquot p. 9 adn. g. **405** Hunc iam a. 1612 (v. adn. 240) mortuum esse Gruterus compertum non habuit, sed ab Hoeflichio per litteras, ad quas ep. 63 respondebat, rescivit. Nam si quis forte, num annus 1614 62 epistolae recte additus sit, dubitet, haec suspicio ea re removetur, quod Hoeflichius Ienam, quo haec epistola missa est, a. 1613 demum commigravit.

406 De Theopisto comoedia v. Will II p. 148. **407** 1. Oct.

408 Nic. Reusner (natus 2. Febr. 1545, 12. Apr. 1602 mortuus), inde ab a. 1589 prof. iuris Ienensis. V. Günther, Lebensskizzen p. 55; Allgem. Deutsche Biogr. 28, 299 sqq.; Stintzing, Gesch. d. deutschen Rechtswiss. I p. 710 sqq. **409** Chronicon chronicorum ecclesiastico-politicum . . collectore Ioh. Gualterio Belga, quattuor voluminibus contentum, Francof. in officina Aubriana 1614. **410** Gruterus in epist. ad Io. Kirchmannum (inter Gudianas epist. p. 207): 'Chronicon Chronicorum, ubi exstat titulus virorum literis virtutibusque illustrium a me maxima parte concinnatus'; idem in epist. ad Io. Petr. Lotichium *6. Mart.* 1627, quem locum Reifferscheid p. 722 adnotavit: *'Chronici* chronicorum mei editionem iteratam nun

meditentur Aubrii scire aveo; submitterem enim infinita deinde mihi annotata'. His omnibus ex locis patet Gruterum illius libri magnam partem, certe titulos virorum illustrium, scripsisse; sed quominus eundem operis totius collectorem fuisse, non Ioh. Gualterium Belgam, quem tituli indicant, arbitremur, ipsius Gruteri verbis impedimur, quae in epist. 66 sunt: 'Chronico Chronicorum Gualterii nostri'. Quare Ioh. Gualterii Belgae nomen pro Grutero pseudonymon fictum, ut vulgo dicitur, non est, sed alium quendam significat, qui quisnam esset, adhuc indagare mihi non contigit. Sed indagavit Weller, qui in lexico pseudon.[2] 1886 p. 239 recensuit: 'Gualterius Belga, Iohannes 1614 — Ioh. Wouters', quibus autem fontibus nitatur, nescio. **411** 19. Dec. **412** Theod. Sitzmann († 7. Sept. 1622, v. Reifferscheid p. 759), ICtus et poeta (ibid. epist. 97, 43). De eo Conr. Rittershusius, Altorfii, 4. Dec. 1610 (in Rittershusiorum epist. p. 60): 'Sitzmannus noster . . duos adduxit nobiles discipulos Brandensteinios, quibuscum cogitat hic annum exigere'; idem Alt. 4. Febr. 1611 (ibid. p. 63): 'Commentarii mei in Salvianum cum notis Weitzii et Sitzmanni maiorem in molem excrescunt, quam ab initio sperabam'; idem eum commemorat in epist. datis Alt. 18. Apr. 1610 et pridie S. Matthaei (21. Sept.) 1611 (in epist. Gudianis p. 245 et 251), tum 21. Ian. 1613 (in Rittershus. epist. p. 267): 'Optimus noster Sitzmannus, cui in professione Ienensi praelatus est Dn. Gryphiander . .', praeterea epist. Alt. 25. April. 1617 (in Gudian. p. 251): 'Theodoro Sizmanno, compatri meo, qui Lipsiam a nobis hac hieme remigravit'. Lipsiae etiam a. 1622, quo mortuus est, commorabatur (v. Gruteri epist. Tubing. 23. Iunii Iuliani 1622, apud Reifferscheid p. 129 sq.). **413** Henr. Albertius Hauniensis poeta, de quo v. Joecher-Adelung I 198, I 449 et Serapeum 18 p. 213. **414** Verg. Aen. I 199 et Hor. epist. I 4, 14.

415 Hoeflichius poeta laureatus a. 1614 factus est, cuius rei in memoriam edidit libellum sic inscriptum: C. Hoeflichii laurea poetica Cl. virorum et amicorum gratulationibus celebrata, Nor. 1615 (sec. Will II p. 147). Hoc in libello fortasse inest Gruteri carmen, quod statim in epistola sequitur.

416 '. . Ciceronis opera . . studio atque industria Iani Gulielmii et Iani Gruteri . . Hamb. . . a. 1618', quam ad editionem perficiendam plus quattuor annis opus erat; v. Gruteri epistolas in Schelhorni amoen. literar. V p. 178 et Alciati tract. contra vit. monast. ed. ab A. Matthaeo Lugd. 1708 p. 90 sq. **417** Io. Gryphiander (Grypenkerl, † 1652) Oldenburgensis, 1612—1618 hist. et poes. prof. Ienensis; v. Günther, Lebensskizzen p. 174; Allg. Deutsche Biogr. 10 p. 73. **418** Caspar Facius (1573 —1646) *Aldemburgi* consistorio et consiliis aulicis praeerat;

v. Adelung II 999. **419** In Inscriptionum editione altera, praeter quam equidem vidi nullam, Facii epigramma non inest.

419a Ad dignitatem syndici Norimbergensis. **420** Reginam, Pancr. Holzschuchii ICti, praefecti praeposituræ Bambergensis et advocati nobilitatis Franconiae filiam in matrimonium duxit, quae alterius Rittershusii coniugis nomine Catharinae soror erat (v. Zeidler I p. 165). **421** Exstat in Hoeflichii honorem liber nuptialis sic inscriptus: 'C. Hoeflichii et R. Holzschuchiae amores a viris CL. celebrati', Nor. 1617 (secundum Will II p. 147). **422** 19. Dec. **423** Simili comparatione Gruterus in praefatione ad Ciceronem utitur.

424 Erasmus Neustaetter cognomine Stuermer, natus 7. Nov. 1522, mortuus 23. Nov. 1594, Wirceburgi provinciali iudicis munere longo tempore functus est, adscitus etiam in collegium ecclesiasticum et ecclesiarum Bamberg. atque Wirceburg. canonicus (v. Allg. Deutsche Biogr. 23 p. 557). Is etiam Petri Lotichii Secundi et Franc. Modii fautor erat. **425** Cf. Gruteri epistolam ad M. Piccartum a. 1617 scriptam in Schelhorni amoenit. literar. V p. 179, praeterea adn. 434. **426** Ianus Gebhardus (1592—1632), Gruteri discipulus, qui inde ab a. 1612 Heidelbergae studiis sese dedit. V. Allg. Deutsche Biogr. 8 p. 479 et Reifferscheid epist. 97, 164 cum adnot. **427** V. adn. 407 et 408. **428** Eliae Reusneri dies tantum natalis, non etiam mortis in Chronico chronicorum (II p. 1102) reperitur.

429 Gernandus, consiliarius Palatinus et collega G. M. Lingelshemii, etiam alia Melissi anecdota pedestri oratione conscripta servavit; I. G. Zincgrefius enim Lingelshemio e Goarinis 16. Iunii 1630 (apud Reifferscheid epist. 340, 45) scripsit: 'Voegelinus Wormatiae degit, lexico Freheri antiquo ceu draco aliquis velleri aureo incubans. Submisi redemptores diversos . ., sed eae sunt hominis ineptiae vel iniqua potius postulata, ut verear, ne idem huic operi contingat, quod observationibus Melissi Germanicis, avaritia Gernandi vel typographorum.' Cf. Reifferscheidii adnotationem. **430** Hoeflichius a. 1616 rei publ. Norimbergensis a secretis factus est.

431 Melissi 'Spinae' admodum paucae in 'Schediasmatum reliquiis' 1575 p. 385—450 exstant. Gruterus Heydelb. 15 Iul. 1620 scripsit: 'Hic nondum invenere typographum Melissi poemata multa anecdota neque unquam (vereor) publicanda' (Heumanni poecile III 3 p. 395). **432** Intellegitur fortasse Ge. Mundig sive Mundius a Rodach ICtus, a. 1594 natus, de quo v. Joecher-Rotermund III 754, V 188.

433 Gentilem 7. Aug. 1616 demortuum. Excusa exstant epicedia in obitum Scip. Gentilis affixa Scipionis libro de *solennitatibus*, quatenus in quoque actu intervenire debeant vel *intervenisse* praesumantur, Nor. 1617 (secundum Will p. 528).

434 Decem carmina in laudem Erasmi Neustetteri a Grutero post illius mortem scripta servantur in Cod. Vat.-Pal. 1909 et Cod. lat. Monac. 10787 ex illo transcripto; cf. Serapeum 18 p. 215. **435** Ibidem undecim poemata Gruteri in mortem Thuani servantur (l. c. p. 217).

436 Hanc epistolam a. 1624/25 scriptam esse iam in Mss. Gottingensium catalogo I p. 188 per coniecturam indicatur. De a. 1625 propterea certi sumus, quod Gruterus postr. Palmarum eius anni, de quo ambigitur, scribit: 'Vidisti puto Bibliothecam exulum ante semestre a me editam', ea autem a. 1624 nundinis autumnalibus prodiit (v. Catal. univers. pro nund. Francof. autumn. de anno 1624, fol. C 1^b). Porro Georgius Remus academiae Altorfinae cancellarius appellatur, quo in munere Philippum Camerarium secutus est 22. Iunii 1624 mortuum. Itaque haec epistola, utpote postridie Palmarum data, non etiam a. 1624 scripta esse potest. Praeterea Gruterus Tubinga relicta Brettam non ante mensem fere Iunium 1624 rediit (v. adn. 437). **437** Gruterus belli strepitu agitatus mense Augusto fere a. 1620 cum paucorum librorum sarcina Brettam ad Oswaldum Smendium generum (v. Reifferscheid p. 1040), eius urbis praefectum, et cum hostis in dies longius latiusque grassaretur, Tubingam aufugit eoque 18. Nov. 1621 (Reifferscheid p. 118) pervenit. 'Detumentibus' interea nonnihil in Palatinatu rebus, Tubinga mense fere Iunio a. 1624 Brettam reversus apud generum vixit, donec is, quod in religione non congrueret cum dominantibus, praefectura sua decedere iussus est (Venat. p. 99. 103. 108. 110 sq. et Gruteri epist. ad Casp. Hofmannum in G. Richteri epistolis select. p. 533 sqq.). Primo autem die Martii 1627 ad Hofmannum haec scribit (l. c. p. 533): 'Iam vivo cum filia superstite Brettae, abiturus tamen intra decem dies Heidelbergam. Quippe in monte Caprario, urbi illi a meridie opposito, habeo praediolum centum fere iugerum. In eo animus est traducere vitae reliquias . . '. — Osw. Smendius Gruteri filiam mense fere Decembri a. 1617 in matrimonium duxit (v. epist. Gudian. p. 206). **438** A. 1627/8 excusus est, Gruteri notis maxime politicis et in Livium et in Tacitum auctus, quae aliis duabus editionibus desunt; cf. Venat. p. 112, Flayder p. 100. **439** Bibliotheca exulum seu enchiridion divinae humanaeque prudentiae, Argentorati 1624, quod Gruterus Tubingae ipse exul scripsit (Flayder p. 79). V. Reifferscheid p. 1017. **440** Hunc Ianus Rutgersius ipse per litteras adiit, datas Lugd. Bat. 1610 et publici iuris factas in I. C. Wolfii consp. supell. epist. p. 125 sqq. — Rutgersio a. 1625 mortuo Dan. Heinsius solus Scaligeri epistolas Lugd. Bat. 1627 edidit. **441** Gruterus ad Casp. Hofmannum, *Tubingae 16. Febr. 1624* (in Georgii Richteri I

eiusque familiarium epistolis p. 549): 'Immo ultro iam modo ad me itum est a Frisiis Franckerensibus (Franeker), ut ibidem veniam ad professionem historiarum ... Si miles ibi (in Palatinatu) porro sederet, vel in Galliam concedam .. vel petam Franckeram; neque enim diutius heic (Tubingae) agere possum sine bibliotheca.' Idem ad eundem Brettae 25. Sept. (1624) in Richteri epist. p. 546: 'Franckerae in Frisiam vocatus stipendio 320. Ioachimicorum; sed displicet professio Graecae linguae ... Annui tamen me muneri illi praefuturum biennio aut triennio, si adiecerint aedes cum horto .., item quot annis vini plaustrum, denique sumtus itineris restituant. Quod si aliam quamcunque lectionem huic seniculo concesserint, prae me tuli velle ibidem haerere, dum superest Lachesi, quod torqueat. Nondum responderant, neque ego festino.' Vide Reifferscheid p. 1017. **442** Venat. p. 121: '.. Dania, quae .. conditionibus invidendis, non ut doceret in academia, sed ut splenderet, exoptasti.' Vide Reifferscheid p. 1017. **443** Amelia (Aemilia) Smetia, Gruteri uxoris primae soror; v. Reifferscheid p. 755. **444** V. adn. 436. **445** Caspari Hofmanno (1572—1648), a. 1607 med. prof. Altorfiensis facto. V. Allgem. Deutsche Biogr. XII 635, I. I. Baieri biogr. prof. med. Altorf. p. 36 sqq. **446** Georgius Mauritius, Georgii filius (1570—1631), a. 1592 magister creatus est, inde ab a. 1596 gymnasii Altorf. praeceptor, a. 1623 eloquentiae et poeseos professor factus est (v. Will, Gesch. der Universität Altdorf p. 320; Apinum p. 80—83; Will-Nopitsch, Nürnb. Gel.-Lex. II 598, VI 382).

447 De Georgio Remo v. adn. 361. — Herm. Thederingi epistolae plus triginta in 'Literarisches Museum' I 2 p. 268 a Strobelio, ut suspicor, laudantur, ubi epicedion illud in Georgii Remi uxoris memoriam a Thederingo factum, quod in epist. nostra 73 inest, excusum est. Una eiusdem epistola ad G. Remum Patavio 20. Ian. 1623 data apud Hummel, celeb. vir. epist. LX p. 120 sqq. exstat. Quae Zeidler multis, quas habebat, ad Nic. Rittershusium epistolis ipsius Thederingi manu scriptis usus in Rittershusii vita (inter vitas prof. iur. acad. Altdorf. II p. 67 sqq.) narravit, ea omnia ex his nostris epistolis sumpta esse videntur. Praeterea Thederingus in Rittershusiorum epistolis p. 88 et 89 commemoratur et apud Toepke, Matrikel II 284 (v. adn. 449). Alia de eo investigare non licuit. **448** Verbum hoc in Plauto non invenitur, sed apud alios (Fest. p. 270 M).

449 Christianus Copius, 28. Iunii a. 1617 una cum Thederingo in albo academico Heidelbergensi inscriptus (Toepke II 284).

450 Hier. Treutler, de quo v. Stintzing, Gesch. d. deutsch. *Rechtswiss.* I p. 465, selectas disputationes ad ius civile Iustinianeum duobus tomis comprehensas Marp. 1592 et 1593 publici iuris fecerat. Hunc in librum Reinhardus Bachov, prof.

iur. Heidelbergensis (1575—1634, v. Stintzing I 683 sqq.), commentarios edidit; ac primum quidem prodierunt Heidelb. 1615 'Notae et animadversiones ad disputationem I (—X) Treutleri', R. Bachovio Echtio praeside a diversis publice propositae, tum 'Notae et animadversiones ad disputationes Hier. Treutleri . . autore Reinh. Bachovio Echtio . . vol. prius . .', Heidelb. 1617, quo illa commentariorum decas recusa duabus aliis augetur, et ad vol. posterius disputationum Treutleri pars prior et posterior, ibidem 1618 et 1619. **451** Io. Henr. Kirchberger Norimbergensis (1580—1632) a. 1614 Basileae medicinae doctor creatus eodemque anno in patriae urbis medicorum collegium receptus est; v. Will-Nopitsch II 285, VI 210. **452** Theses de usu venarum et arteriarum mesaraicarum, quas Gregorius Queccius praeside Casp. Hofmanno Altorphii a. 1616 publice defendit (v. Will III 256). **453** Conr. Voehlinus Augustanus, qui 18. Martii 1617 in albo acad. Heidelberg. inscriptus est (Toepke II 281). V. etiam epist. 72. De Voehlinorum gente v. Stetten, Gesch. der adelichen Geschlechter in Augsburg p. 229 sqq. **454** Nempe Nicolao R., cuius vitam Zeidler l. c. et Will-Nopitsch III 366, VII 287 descripserunt. — Fortasse Georgius Hoppe Elbingensis Borussus intellegitur, qui in albo acad. Heidelbergae 5. Mart. 1614 inscriptus est (Toepke II 267), postea Genevae mense Febr. 1618 (v. Le livre du recteur, Genève 1860, p. 84).

455 Annae Mar. Seelin, a. 1617 mortuae, quam a. 1595 in matrimonium duxerat (Will III 295). **456** Fortasse Io. Henr. Altingus (1583—1644), a. 1613 theologiae professor Heidelbergensis, 1616 seminarii in collegio sapientiae rector, 1618 una cum Abr. Sculteto et Paulo Tossano ad synodum Dordracum ablegatus; v. Allg. Deutsche Biogr. I 367 sq. **457** Dionysius pater et Iacobus filius, ICti clarissimi. **458** Elisabetha, Friderici V. coniunx, 22. Dec. 1617 Carolum Ludovicum peperit, qui a. 1649 in electoratum successit. **459** Io. Casim. Jordan, ut credo (Hautz, Gesch. d. Univ. Heidelberg II 163). **460** Melch. Rinderus († 1643), inde ab a. 1607 diaconus ad St. Egidium, a. 1619 ad St. Sebaldum (Will-Nopitsch III 328, VII 267).

461 Idem est atque Ian.-Chph. Scheurelius, qui in epist. 75 et 76 memoratur.

462 Conr. Rittershusii differentiarum iuris civilis et canonici seu pontificii libri septem primum post auctoris mortem a. 1616 prodierunt, a Georgio, Nicolao, Ludovico filiis, credo, editi. Certe iidem eos a. 1618 recudendos curaverunt. Part. feud. Rittershusii, Hanoviae 1603 excusae. **463** V. Zeidler II p. 75. **464** Daniel Pohl Elbingensis Borussus, 12. Febr. 1618 in albo acad. Heidelbergae inscriptus (Toepke II 287), quo *initio fere Febr.* Altorfio profectus erat (Rittershus. epist.

p. 84). **465** Fortasse intellegitur 'Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae rhythmis olim teutonicis contexta a M. Franc. Omichio (v. Goedeke II ² p. 402) . . nunc prosa oratione latine conversa a M. Ge. Mauricio. In usum Altorf. Acad. panegyrin 41. a. 1617. celebrantis' (secundum Nopitsch VI 382). — De Ge. Mauricio, Georgii filio, v. adn. 446. **466** Photinismus a Io. Vogelio et Ioach. Peuschelio publice retractatus. 1617. Edit. altera Norimb. **467** Fortasse Abr. Scultetus, inde ab a. 1618 theologiae prof. Heidelbergensis (v. Allg. Deutsche Biogr. 33 p. 492). **468** Conr. Rittershusii commentarius novus in quatuor libros Institutionum, Argent. 1618 a Georgio, Nicolao, Ludovico filiis editus. **469** Cunr. Rittershusii ICti commentarius novus . . in . . legem XXIII. contractus: Digest: De diversis regulis iuris antiqui . ., Argent. 1616 a Georgio, Nicolao, Ludovico filiis editus. Hunc librum Thederingus nondum cognovisse videtur. **470** Matth. Huebner (1572—1614), inde ab a. 1599—1606 prof. iuris Altorfiensis; v. Will-Nopitsch II 200, VI 131. **471** Matth. Indenius, a. 1589 et 1590 prof. iuris; v. Will-Nop. II 248, VI 176. **472** Edo Hilderich de Varel (1533—1599) theologus, inde ab a. 1581 prof. Altorfiensis (Will-Nop. II 125, VI 92). **473** V. adn. 147. **474** Scipio Gentilis; v. adn. 130. **475** Io. Conr. Rummel (sive (Rhumel) pater vel filius intellegitur; nam uterque poeta erat. Pater (1574—1630) inde ab a. 1595—1628 physici Palatinensis munere Novi Fori functus est (Will-Nop. III 426, VII 336). Filius (1597—1661) Heidelbergae et Argentorati studiis se dedit, postea per aliquod tempus et ipse Novi Fori, anno autem 1621 in Ernesti comitis Mansfeldiae exercitu ad medici artem incubuit. **476** Io. Caselius (1533—1613, 1563 prof. Rostochiensis, 1599 Helmstadiensis); v. Allg. Deutsche Biogr. IV 40; Eckstein, nomencl. p. 83; Graesse, Allg. Lit.-Gesch. III 1 p. 705. **477** Hunc locum ita explico: Odontius meus, i. e. Io. Casp. Odontius, mathematicus Altorfiensis (1580—1626, v. Will-Nop. III 55, VII 49), qui hanc epistolam tibi tradet, mihi instat, ut ad finem perveniam.

478 V. epist. 75 et adn. 481. **479** V. adn. 449. **480** Commentarii in Theod. Cod. post mortem demum Gothofredi († 1652) Lugduni 1665 prodierunt.

481 Marcus a Rehlingen, de quo epist. 78, filius Marci Conradi, patricii Augustani, paulo infra et epist. 79 laudati, qui idem esse videtur atque is, quem Stetten, Gesch. d. adelichen Geschl. d. Stadt Augsburg p. 88 et 92 et idem, Gesch. d. Stadt Augsburg II 143. 249 commemorat. **482** Patricius *Lucensis*, mercator Norimbergensis, Scipionis Gentilis socer *(Will I 525).* **483** Pfauth vel Pfaud, consiliarius Norim*bergensis (Will* III 43).

484 (Jacques Lect et Jean Sarrasin) Le citadin de Geneve ou response au cavalier de Savoye . . A Paris . . 1606 (Barbier, dict. des ouvrages anonymes I 609). **485** V. Galiffe, Genève historique et archéol. 1869 p. 196. **486** Pierre de la Baume-Montrevel; v. Fleury, hist. de l'église de Genève I 354 sqq. **487** Salomonis Certonis, consiliarii et secretarii regis, domus et coronae Franciae, Geneva. Genevae apud Petrum Aubertum. Ao. 1618. **488** Gaspard du Laurens, de quo v. Joecher-Rotermund II 2311, III 1398. **489** Fortasse Bened. Turretinus (1588—1631), qui a. 1612 Genevae pastor factus est et a. 1618 theol. prof. (Herzog, Real-Encycl. 16 p. 90). **490** Victor Amadeus I. a. 1619 Christinam, Ludovici XIII. sororem, in matrimonium duxit. **491** Henrica Maria, quam a. 1625 Carolus I. in matrimonium duxit. **492** Andr. Dinner (1579—1633), 1606 institut. prof., 1613 Rittershusii defuncti loco pandect., 1616 primarius (Will-Nop. I 278, V 283, Allg. Deutsche Biogr. V 241). **493** Erasmus Ungebaur (1582—1659), 1616—1635 iuris prof. (Will-Nop. IV 97, VIII 352). **494** Georg Noessler medicus (1591—1650), inde ab a. 1618 philos. et med. prof., quo anno Ursulam Schwabiam, Eustachii Unterholtzeri consiliarii Norimbergensis viduam, in matrimonium duxit (Will-Nop. III 43, VII 29). **495** Georg Quegk (1561—1628), inde ab a. 1596 ethic. et ling. graec. prof. (Will-Nop. III 253, VII 215). **496** Guil. Ludwellus (1589—1663), a. 1613 Altorfium una cum adulescentibus nobilissimis aliquot, qui institutioni eius traditi erant, pervenit. Ibidem a. 1619 publica disputatione habita privatae institutionis per collegia domestica potestatem nactus est; 1631 iuris feudalis professionem addidit, 1634 institutionum, 1635 pandectarum, 1646 codicis. **497** Cardinalis Melchior Cleselius, episcopus Viennensis et Matthiae Caesaris consiliarius intimus, 20. Iul. 1618 a Ferdinando rege Bohemiae et Maximiliano archiduce captus erat et in comitatum Tyrolensem abductus. De Io. de Jessen, Caesaris archiatro, v. Hirsch, Lex. d. Aerzte III 395.

498 Iodoci Sinceri (= Iusti Zinzerlingi, v. Joecher IV 2212) Itinerarium Galliae ita accommodatum, ut eius ductu mediocri tempore tota Gallia obiri, Anglia et Belgium adiri possint . . Lugduni 1616. **499** Pugna apud Album Montem 8. Nov. 1620 commissa erat. **500** Werner Schenck in Flechtingen, nobilis quidam (cf. epist. 79 et 85), quem Rittershusius in itinere per Galliam, Angliam, Belgium facto ut praeceptor et ephorus comitatus est. A. 1619 iter suscepisse videntur (v. epist. Richterian. p. 204). Argentorati a. 1620 substiterunt (v. Rittershus. epist. p. 105), eodem anno etiam Genevae (ibid. p. 82 sq.).

501 Ge. Rittershusius (1595—ca. 1664), 24. Nov. 1623 Altorfi

doctor creatus statim sequenti anno in advocatorum Norimbergensium collegium receptus est eodemque anno Culmbacum, ut advocati munere fungeretur, transiit (Will-Nop. III 363, VII 286; v. etiam epist. 82). **502** Ipse Ge. Rittershusius ad G. Remum in epist. Argent. 3. Mart. 1623 data, quae in Rittershusiorum epist. p. 88 sq. exstat attamen falso, ut e nostra hac epistola apparet, anno 1613 addito, haec scribit: 'Pro transmissis litteris Dni. Tederingi Amplitudini tuae magnas ago et habeo gratias. Meminit in illis se hoc vere per Longobardiam repetiturum Germaniam cum Marco suo, quam ob rem scire gestio, quibus conditionibus D. Rehlingerus alium inspectorem filii sui sit conducturus. Quid si interim in proposito meo, quod nosti, pergerem? nihilominus deinde statuere possem de recipienda conditione, quod complacuerit. Dno. Tederingo respondebo proxime.' **503** Anni 1625. De hoc iubilaeo exstat liber sic inscriptus: 'Illustrationes et commentaria ad bullam.. Urbani Papae VIII pro sacri Iubilei ao. 1625. Georgii Polacchi presbyteri Veneti.. Venetiis, Anno Iubilei. 1625 ...' **504** De Phil. Hainhofero v. Ad. v. Oechelhäuser in Neue Heidelb. Jahrb. I 1891 p. 254 sqq. **505** De hac gente v. Kneschke, Adelslex. VII 93. **506** Nauten pagus in Hollandia Borussica situs est. **507** Soror Thederingi; cf. epist. 86.

508 Fortasse Lud. Dunte; v. Freher. I 483. **509** Barthol. Schachmann, de quo R. Curicke, der Stadt Dantzig histor. Beschreibung 1688 p. 171, hunc locum, qui in G. Dousae epist. de itinere suo Constant. 1599 p. 88 sq. exstat, laudavit: '.. Dantiscum venio ... Eius sane Proceres non minus eruditione quam rerum politicarum experientia instructi sunt, inter quos Cl. V. Barth. Schachmannus, cum virtutibus tum etiam πολυτροπίᾳ cumulatissime ornatus, facile eminet ... Peragravit is, praeter Germaniam, Galliam, Italiam et Aegyptum, universum pene Orientem, unde sibi non exiguam exoticarum rerum supellectilem reportavit. Vix credo cuiquam rei alicuius in mentem venire posse, cuius ille specimen in suo κειμηλιαρχίῳ non habeat. Nummorum tam veterum quam recentium tanta instructus est copia, ut non alibi locorum facile simile quid inveniri posse existimem.' **510** V. adn. 501.

511 Loppoehnen, in regione Fischhausen. **512** 'Actus publicationis privilegiorum doctoralium universit. Altorph. Norimbergens. in anniversaria panegyri.. 29. Iunii.. a. C. MDCXXIII celebratus ..', cui adnexus est 'Actus promotionis quinqu doctorum primus (24. Nov. 1623, v. Will, Gesch. d. Univ. Altdorf p. 19). **513** Fortasse Io. Rud. Lavater († 1625), de qu v. Leu, Helvet. Lexik. 11 p. 383 sq.

514 Operae horarum subcisivarum sive meditationes historicae auctiores quam antea editae, continentes accuratum d

lectum memorabilium historiarum et rerum tam veterum quam recentium singulari studio invicem collatarum .. centuria I (—III), Francof. 1602. 1606. 1609. **515** Fezer sive Fetzer, ICtus Norimbergensis, † 20. Iul. 1624 (Will I 429). **516** Sigismundi III. filius Vladislaus IV., qui ut experientiam et usum sibi acquireret, 7. Maii 1624 profectus iter magnam per Europae partem suscepit. 8. Augusti Aug. Vind. pervenit, 14. Aug. Norimbergam, 6. Sept. Bruxellas. Ex itinere initio a. 1625 revertit (v. Gestorum Vladislai IV. auctore E. Wassenbergio ed. sec. part. I., Gedani 1643, p. 132 sqq.).

517 Dan. Becker pater, Dantisci 1594 natus, inde ab a. 1623 – 1655, quo anno diem supremum obiit, apud universitatem Regiomontanam docuit (Pisanski, Entw. einer preuss. Lit.-Gesch., herausgeg. v. R. Philippi = Publ. d. Königsb. lit. Freunde I p. 371; Hirsch, Lexikon der Aerzte I p 356).

518 Oderberg et Beuthen; cf. epist. 86. De his dynastiis v. Gramer, Chronik d. Stadt Beuthen, 1863 p. 111 sqq.

519 Ad Copii nuptias celebrandas; cf. epist. 85.

520 De arce Neudeck v. Franke, Lage u. Entw. d. Stadt Beuthen, Beuthen 1877 progr. p. 20 adn. 19.

521 Henr. Dalmer, affinis Io. Rossavii (v. adn. 522), quem Nic. Rittershusius in praefatione Sacrarum lectionum Conradi patris commemorat.

522 Is fortasse est Io. Rossaw, senator Gedanensis, cui Nic. Rittershusius patris Sacrarum lectionum libros octo Norimb. 1643 editos dedicavit. **523** Rittershusius 4. Oct. 1630 Mariam Magdalenam, filiam Hier. Besleri medici (Hirsch, Lexik. I 437), Laur. Kaestelii ICti et reip. Norimb. advocati (Will II 268) viduam, in matrimonium duxit (Zeidler II 71). **524** Is fortasse cognatus Ioach. Oelhafii cognominis, medici Dantiscani iam a. 1630 mortui, de quo v. Allg. Deutsche Biogr. 24, 291.

525 Georg. Rittershusius eo tempore imperialis dicasterii assessor Onoldi erat. Lud. frater 24. Oct. 1632 cancellariae Noricae substitutus (Zeidler I p. 163 adn. 1 sub fin.), Ludwellus iuris feudalis extraordinariam professionem Altorfi obtinebat, Queccius non iam inter vivos erat a. 1628 mortuus. **526** Sigismundo III. 30. Apr. 1632 mortuo Vladislaus IV., eius filius, in regnum successit et 6. Febr. 1633 coronatus est. **527** Mosci Smolenscum inde ab 14. Nov. 1632 obsederunt, sed a Vladislao victi et 13. Iunii 1634 pacem facere coacti sunt (v. Wassenberg l. c. II p. 49 sqq.). **528** Zadzik a. 1624—1635 episcopus Culmiensis erat, tum Cracoviensis. V. Woelky, Katalog der Bischöfe von Culm, Braunsb. 1878 p. 60 sq. **529** V. Stetten adeliche Geschlechter p. 164.

Index

ad epistolarum tabulam (p. VII) supplendam compositus.

Adnotationum numeri asteriscis indicantur.